



1657.

1. Beermannus, Philippus: De fonte admirabili lapidifico.
2. Jena, Godefridus, or: De legitima liberorum.
- 3<sup>at</sup> = Jena, Godefridus, or: De feto declinatio.

1658

1. Brunnermannus, Johannes: Ad legem Portugalam § 8 Impera-  
tor 1. §. Ut legatorum seu fiduciariorum servando-  
rum causa cavetur.
2. Decherus, Joachimus: De separatione bonorum.
3. Decherus, Joachimus: De jure aggrahandi - - -
4. Rhetius, Joh. Fridericus: De praerogativa inter  
familias illustres et praetensionibus.

1659.

1. Brunnermannus, Johannes: De spe.



1689.

2. Brunnemannus, Johannes: De jure fisci.
3. Jena, Godofredo, De: De jure offerendi
4. Ursinus, Christophorus: De pestilentia
5. Wolffio, Philippus Jacobus; Rector acad. Francofurt.:  
ad spectanda . . . eruditionis praemia nempe  
licentiae insignia, quibus (Godofredo de Jena, Fac. Juris.  
-Vice-Decanus. . . Georgius Heimicus Kling. . . condeco.  
rebus. . . invitet.

1680.

1. Brunnemannus, Johannes: De avocatione causarum.
2. Jena, Godofredo, De: De captivitate, quae in bello  
est.
3. Rhetius, Joh. Fredericus: De misericordia intempestiva
4. Rhetius, Joh. Fredericus: De prudentia juris Romani  
ejusdemq. principis.



1661.

1. Decherus, Tractim : De latrociniis et assassinis.
2. Rango, Censor Tiburtius : Vita Justiniani Magni Imp.
3. Aetius, Joh. Fidenius : De mundanis solemnibus.

1662.

1. Brunemannus, Johannes : De jure peregrinorum.



149

1. *De laboribus et mercedibus*  
*De laboribus et mercedibus*

2. *De laboribus et mercedibus*  
*De laboribus et mercedibus*

3. *De laboribus et mercedibus*  
*De laboribus et mercedibus*

4. *De laboribus et mercedibus*  
*De laboribus et mercedibus*

5. *De laboribus et mercedibus*  
*De laboribus et mercedibus*

6. *De laboribus et mercedibus*  
*De laboribus et mercedibus*

7. *De laboribus et mercedibus*  
*De laboribus et mercedibus*

8. *De laboribus et mercedibus*  
*De laboribus et mercedibus*

9. *De laboribus et mercedibus*  
*De laboribus et mercedibus*

10. *De laboribus et mercedibus*  
*De laboribus et mercedibus*





1661, 2  
22  
1422  
Q. B. V.  
VITA

**JUSTINIANI  
MAGNI IMP.**

**EX SPECIALI CONCESSIONE  
IN AUDITORIO ICTORUM  
PRÆSIDE**

**M. CUNRADO TIBURTIO  
RESPONDENTE.  
LAURENTIO**

**FRANGONIBUS.**

**FRATRIBUS GERMANIS,  
COLBERGENSIBUS EX PO-  
MERANIA.]**

**ANNO SALUTIS MDC LXI.  
DIE XI. MENS. MAI.**

**IN ELECTORALI VIADRINA  
AD DISPUTANDUM  
PROPOSITA.**



**Literis EICHORNIANIS.**



Antiqua Generis prosapia  
Propriaq; Virtute conspicuos

VIROS atq; JUVENES

ILLUSTRI RANGONUM FAMILIA

Oriundos

DN. JOACHIMUM RANGEN,  
Salinarum apud COLBERGENSES Dominum, ejus-  
dem Reipublicæ Senatorem, & Proviforem ædium  
Cathedralium. Dn. Parentē æternū devenerandum.

DN. TIBURTIUM LEONEM RANGEN,  
Patritium & Salinatorem in patriâ primarium. Dn.  
Patrum maximè colendum.

DN. MARTINUM RANGEN,  
Dicafterii Electoralis in ulteriori Pomeraniâ Ad-  
vocatam. Fratrem Germanum.

DN. CASPAREM LAURENTIUM  
RANGEN, Jurium Candidatum. Dn. Cognatum  
honoratissimum.

DN. JACOBUM RANGEN,  
LL. Studiosum. Dn. Cognatum amantissimum.

DN. JOACHIMUM RANGEN,  
In illustri totius Europæ Emporio AMSTELODA-  
MENSIS propter mercaturæ studium degentem.  
Fratrem Germanum.

*Debita presentis Dissertationis Inscriptio.*

L. M. Q.

*Venerantur & colunt*

LAURENTIUS

Et

M. CONRAD. TIBURT.

Fratres Germani,

} RANGONES.



**F**ortius extollit ramos imā radice stabili-  
lita arbor; Et immortalis fere est, cuiq;  
non usq; adeo dominari potest constans  
inconstancia, per tot seculorum decursus in  
sanguine radicans amor. Novimus, idq;  
citra jactantiam, quantum adhuc novimus,  
THEODORUM RANGONEM Patritium Con-  
stantinopolitanum felicissimo illo seculo Ju-  
STINIANO nostræ RANGONUM familiae è  
GRÆCIA in ITALIAM translatae primum auto-  
rem extitisse. Effloruit ea occulto velut ar-  
bor xvo per floridissima ITALIÆ vireta fel-  
cissime, nec adhuc hodie in florentissima  
FLORENTINORUM Republica florere desit.  
Surculus ex eadem GERMANIÆ insertus, jam  
tribus & quod ultra est, abhinc seculis ita  
coaluit, ut radices non solum egerit altissi-  
mas, sed & brachia in POMERANIAM usq;  
adeoq; ejus Civitatem COLBERGAM, ipsis  
BALTHICI maris oris coterminam, mire por-  
rexerit. Ita in omnibus EUROPÆ terminis  
alte radicans Sanguis noster, nobis etiam  
hereditario jure, ut fas est, proficit, facitq;  
ut de hujus nostri, vestri etiam, adoptionis  
satis, si non sanguinis jure, foetus literarij

(A 2)

beni



benignâ susceptione nihil non nobis polli-  
ceri debeamus, id enim amor, quo vos colimus,  
noster, Vesterq; favor quo nos prosequi  
consuevistis, indubitato spondent. Ita  
PARENS, PATRUE, FRATRES, COGNATI optimi,  
optime Valete, & agite porrò ut per Vos  
RANGONUM propago.

Arctois etiam revirescat in oris,

quod votiva mente manuq; scribimus  
in ELECTORALI VIADRINA.  
V. ID. DECEMBER. AN. M DC LXI.



Q. B. V.  
 V I T A  
 JUSTINIANI  
 IMPERATORIS.

CAPUT I.

Summa.

- |   |  |
|---|--|
| 1. IUSTINIANUS à justitiâ sic dicitur<br>Et in Glossa.  | 17. Nomina justiniani à devictis<br>gentibus.  |
| 2. Sed non satis accuratè.                              | 18. Cognomen Callinici tributum<br>justiniano. |
| 3. Alia opinio, quod à Patre adoptivo<br>nomen habeat.  | 19. Cognomen Magni unde pro-<br>meruerit.      |
| 4. Mutatio nominis in adoptato.                         | 20. Quare dicitur Anicius.                     |
| 5. Nomen mutare nemo prohibe-<br>tur.                   | 21. Alii dicti justiniani enume-<br>rantur.    |
| 6. Exemplo Pontificum Romano-<br>rum.                   | 22. Iustinianus II. Imperator.                 |
| 7. Priscorum in Apotheosi.                              | 23. Iustinianus Mauricii imp. filius.          |
| 8. Iustinianus non mutavit no-<br>men à patre adoptivo. | 24. Iustinianus Præfectus Urbi.                |
| 9. Sententia Signoroli probabi-<br>lior.                | 25. Alius Ecclesia Valentiana An-<br>tistes.   |
| 10. Ex bono nomine bona præsum-<br>tio & contra.        | 26. Alius Dux Orientis.                        |
| 11. Opinio nostra adducitur.                            | 27. Alius postea Ibrahim Bassa<br>dicitur.     |
| 12. Derivata à voce iustinianus.                        | 28. Alius Theologus Hispanus.                  |
| 13. Jus justinianicum.                                  | 29. Iustiniani nomen factum ap-<br>pellativum. |
| 14. Iustiniani novi.                                    | 30. Monitum Historico-Politicum.               |
| 15. Nomina justiniani secundaria.                       |  |
| 16. Quare Imperatores vocati Ca-                        |  |

**J**USTINIANUS, Græcè *Ιουστινιανός*, quod nomen  
 primum Imperatoris nostri, origine latinum esse  
 videtur derivatum à *Justitiâ*, quam, quia JUSTINIA-  
 NUS semper coluit, aliisque colendam in junxit, hinc  
 A nomen



nomen hoc ipsi impositum fuisse colligit GLOSS. *in rubric. proæm. Instit. voce Justinianus.* Verum cum tale nomen, etiam ante quam hæc faceret, à primis inde incunabulis, ubi adhuc incertum erat, qualis futurus esset, Imperatori jam fuerit impositum, teste CAGNOLO *in proæm. Digest. num. 55. ANTON. CONT. in vitâ Justiniani* minus rectè GLOSSAM collegisse quilibet videt.

3 Alii, inter quos HEIGIUS, MYNSING. CRISPIN. PACIUS, & LOCAMER. *ad Proæm. instit.* JUSTINIANUM dictum ita à Patris adoptivi JUSTINI nomine fuisse putant, quia institutum scribit DION. *libr. 46. & 47.* ut, qui adoptatur ab adoptante appellationem accipiat, nomen tamen aliquod eorum quæ prius gessit, aliter paulò formatum servaret, vel etiam nomen, prænomen, & cognomen sumeret familiæ adoptantis, ut apud SÆTTON. *in jul. cap. 83.* proprium nomen in *anus*, & gentilitium in *jus*, plerumque derivans. Hinc ab Octavio Octavianus, à Domitio Domitianus, à Julio Julianus dictus est. SCHARD. *in Lexic. juridic. voce Adoptio.* ANDR. SCHOTTUS *in Romanar. Antiq. Electis, ad finem Antiquitat. Roman.* ROSINI *adjectis. pag. 3. & 33.* FRANCISC. ROBORTELLUS *in libr. de Nominib. Romanor. & ibi CAROL. SIGONIUS. in Emendation. libr. 2. pag. m. 497. lin. 31. & pag. 487. lin. 27.* Semper enim visa est bonorum virorum honesta affectio nominis sui propagandi, unde quandoq; heredes nomen testatoris ferre justî sunt, quod patet ex *l. sed sciendum 7 ff. ad scum. Trebell* nihilque mali habitum honesti hominis nomen adsumere. *l. facta 63. §. si vero 10. ff. cod.* Ita Octavius quos heredes instituit primos Tiberium nempe & Liviam, eos & ferre nomen suum jusit, teste SÆTTON. *in Octavio. cap. 101. ult.* vid. GEORG. BERNHARD. ROANNENSIS



SIS in Divisionibus in IV. libr. instit Justinian. ad tit. de  
adoption. pag. m. 7. fol. 2. Regulariter nomen vel præ- 5.  
nomen vel Cognomen mutare de jure nemo prohibe-  
tur, per l. unic. C. de Mutat. nomin. nisi id fiat in alterius  
fraudem & præjudicium tertii, per l. falsi nominis 13. ff.  
ad l. Cornel. de fals. Hodiè etiam, licet dispari ratione, 6.  
Pontifices Romani adhuc nomina mutare solent, as-  
sumpto alio, quod omnibus notum. Et prisce in Apo- 7.  
theosi Imperatorum bene meritorum nomina muta-  
bant, postquam inter Deos essent relati, de quâ nomi-  
nis mutatione videri poterit LACTANTIUS libr. 1. de  
fals. relig. cap. 21. pag. m. 69. & ROSIN. Antiq. Rom. libr. 8.  
3. cap. 18. in paralip. pag. m. 478. F. Sed nec hoc in  
JUSTINIANO verum esse, patet inde, quod ante  
quam adoptaretur, jam vocatus fuerit IUSTINIANUS  
hocq; nomen ipsius fuerit proprium. VINNIUS. in not.  
ad proœm. instit. voc. Justinianus. Deinde, neque hoc  
Universale & perpetuum fuit, ut omnem adoptionem  
sequeretur nominis mutatio: Ita Ulpius Trajanus à  
Coccejo Nervâ, Ælius Hadrianus à Trajano adoptati  
teste ÆL. SPARTIANO, in vitâ Hadriani Caesaris, pag.  
m. 5. inter Hist. August. Script. S. Aur. VICTORE de Ce-  
sarib. pag. m. 319. & seq. EUTROPIO in Breviar. Hist. Rom.  
libr. 8. ab Hadriano adoptatus Antoninus Pius, apud  
JUL. CAPITOLINUM in vitâ Antonini Pii pag. m. 33. inter 9.  
H. A. S. & tamen neuter horum nomen mutavit, aut ab  
adoptante mutuavit. Vid. SITHMANN. in Nucl. jur.  
Civ. instit. ad proœm. pag. m. 22. Tutius ergò est statuet  
re, vel potius in re incertâ augurari cum SIGNOROLO  
Consil. 129. vocatum fuisse IUSTINIANUM ideo quod sic  
placuerit Parentibus, & his qui Sacro baptisate cum 10.  
exornari fecerunt, cumque hoc nomen pulchrum &  
plausibile sit, potius præ alio elegerint; Apud supersti-  
tiosos enim ex bono nomine bona oritur præsumptio.



EVERHARD. *in Topic. legal. loc. ab Etymol. num. 7.* Et ex hâc forte ratione ipse quoq; Imperator noster IUSTIN. in *Nov. 28. cap. 1.* vetus nomen Polemonis quo plerique in Ponto Tyranni usi fuerunt, quod inde à Nerone Claudio Imp. ortum traxit, qui Pontum in jus Provinciae, Polemonis permisso redegit, teste, S. A. VICTORE *de Caesarib. pag. no. 313.* SÜETON. *in vit. Neron. Claud. cap. 18.* quiescere voluit, tum quia Tyranni stitit, tum quia pulchrius fuerit regiones Christianorum & regum nominibus designare, quam his quæ Polemi, hoc est, belli & tumultus præ se notionum ferunt. Tandem etiam ideò IUSTINIANI nomine Imperatorem nostrum insignitum fuisse, fortassis non absurde colligimus, quod Parens ejus naturalis Justinianus dictus fuerit, testibus CUSPINIANO, POMP. LÆTO, BAPTISTA IGNATIO *in Justiniano.* IOH. HARPRECHT. *in proem. Instit. num. 19.* Filiis autem Parentis nomina imponi non est infrequens. Nos in hâc lite cuique suum velle meritò permittimus.

12. Quæ de IUSTINIANI nomine nomina sortita fuerint, non infimi sunt generis, & recenset ea maximam partem IOHANN. EICHELIUS, Professor Helmstadiensis *in animadvers. ad civendo seu Historiam arcanam Procopii Casariensis, Interprete Nicolao Alemanno versam, ad num. 131. pag. m. 194. & seq.* quorum præcipua sunt Urbes, portus, domus, literæ, libri, diadema, magistratus, militum ordines. A IUSTINIANO dictum est etiam Ius IUSTINIANEUM, quod autore eo in ordinem redactum fuit, de quibus omnibus plura fortè inferius.

14. Nomen hinc etiam habent IUSTINIANEI NOVI, antea *Dupondij* ridiculo cognomine appellati, illi quidem Studiosi juris, qui primo anno operam collocarant in

perci-



percipiendis institutionibus juris & quatuor prioribus  
Pandectarum libris, qui τὰ πρῶτα inscribuntur. Sicut  
anno secundo *Edictales*, tertio *Papinianista*, quarto  
λύσαι, quibus hodie æquiparantur *Baccalauri*, &  
quinto demum τῶν λύσαι, qui hodie *Licentiati*, voca-  
bantur. §. 2. & seqq. in *proem. Digest. de rat. & Method.*  
*jur. docend. ad Antecessores.* vid. VALENT. FORSTER.  
*Histor. jur. Civil. Roman. libr. 3. cap. 3. num. 3. & seqq.*  
THOM. LINDEMAN. in *Histor. jur. Roman. §. 339. & seq.*  
PETR. HEIGIUS. *part. 2. quest. 11. num. 44. & seqq.* JOH.  
WURMSERUS Professor Tubingensis, Fautor ac Patro-  
nus noster singularis in *Nucleo jur. Controversi ad Pro-*  
*em. controu. 9. num. 3. & seqq.*

Nomina JUSTINIANI secundaria, sive ea præ- 15  
nomina, sive cognomina, sive agnomina sint, quando-  
quidem confusa à Romanis sæpè fuisse, testis est CA-  
ROL. SIGONIUS in *emendation. ad Robortelli libr. de No-*  
*minib. Roman.* præcipua hæc sunt, quod se in *proem. In-*  
*stitut. jur.* appellet IMPERATOREM, CÆSAREM, FLA-  
VIUM, de quibus videantur Commentatores *ad proem.*  
*Instit. jur.* Quod autem Romani Imperatores à Divo 16  
JULIO & OCTAVIO aliisque dicti fuerint Cæsares, Au-  
gusti, Imperatores, &c. inde ortum credo cū ALEX. ab  
ALEXAND. *Genial. Dier. libr. 1. cap. 2. princ.* quod deside-  
rio illorum post funera tenerentur & tanquam in po-  
steris eadem indoles futuræ virtutis eniteret: Ita co-  
dem sibi nomine adoptato, ipsi quoque ad præclara fa-  
cinora obeunda invitarentur. Reliqua nomina quibus 17  
porro insignitur JUSTINIAN. in *proem. Institut. jur.* ple-  
raque à devictis gentibus quas locordiâ tuâ Romani  
amiserant, & Gloriosiss. Imp. JUSTINIANUS, Deo an-  
nuente, iterum ditioni Romanæ adjunxerat, sunt trans-



umpta, ut patet ex *Nov. 30. cap. 11. §. 2.* & notant Com-  
mentatores *ad proœm. instit.* ut proinde his immorari  
supervacaneum. Videtis PAULUM DIACONUM *de gestis*  
*Romanor. ad Eutropii Histor. libr. 18. in princ.* GOEHAU-  
SEN. *part. 1. pericul. Academ. 4. quest. 25.* ubi satis accu-  
18. ratè de nominibus his tractat. Aliud cognomen quo-  
que JUSTINIANO, sed in bello duntaxat tributum fuisse,  
CALLINICI nimirum (quod corruptè ex Græco κα-  
λὸς, bonus, & νικάω vinco, quasi bonus victor, deductum  
auguror, Jex PROCOPIO *libr. 2. belli Vandal. & libr. 2.*  
*Belli Persici.* observat. HUBERT. GIPHANIUS, in *Commen-*  
19. *tar, de Imp. Justiniano pag. m. 4.* Sed & MAGNI cogno-  
men meruisse JUSTINIANUM ex aliis refert. **M. J.**  
**CHAEI SACHSE** in *der Kaysers-Chronica sub*  
*vita Justiniani.* ob res maximas pace belloque felici-  
ter gestas, quibus tanti nominis mensuram cumulavit  
JUSTINIANUS, præcipuè constituta Jurisprudentiâ;  
quo facinore splendoris æterni supremum apicem ob-  
tinuit, nullo socio singulare decus minuente: adeò ut  
verè gloriari possit suis legibus, quamdiu Romani no-  
minis fama vivet, populos omnes quos barbari moris  
non oppresserit infamia, victuros. Atque horum intui-  
tu arbitror cum FRANC, GUINETO *In Justiniano Magno*  
*in præfat. ad Lector.* præter GEORG. CEDRENUM etiam  
ab AGATHONE Põtifice maximo, hoc cognomine ap-  
pellatum esse JUSTINIANUM, in Epistolâ plusquam cen-  
tum & viginti Episcoporum manu subscriptâ, & in  
sexto Occumenico Concilio de quo etiam PAUL. DIA-  
CONUS *ad Eutropii Histor. libr. 18. pag. m. 593.* annis quin-  
decim supra centum à morte JUSTINIANI prolatâ:  
Postquam enim mentionem fecit Magni illius *Constan-*  
*tini cujus post obitum laudabilis fama nihilominus viget*  
Et.



*Et c. Theodosii Magni Et c. egregii veritatis amatoris Mar-*  
*tiani principis. Tum magna subjicit. Et sicut extre-*  
*mi quidem praestantissimi tamen omnium MAGNI illius*  
*JUSTINIANI, cujus ut virtus ita Et pietas omnia in me-*  
*liorem ordinem restauravit Denique & ANICIUS dictus<sup>20.</sup>*  
*est Imp. JUSTINIANUS, teste Hieron. MEGISERO in*  
*Theatr. Caesar. Histor. poet. in vita Justiniani. quo qui-*  
*dem praenomine non pauci Viri Consulares insigniti*  
*fuerunt. Fuit enim. L. ANICIUS Gallus Cos. Anno M.*  
*3790. Ante C. N. 158. Fuit ANICIUS Cerealis Cos.*  
*suffectus in locum C. Julii Attici Vestini, Anno M.*  
*4014. post C. N. 65. Fuit ANICIUS Paulinus Cos. An-*  
*no M. 4226. post C. N. 277. Fuit ANICIUS Faustus*  
*Cos. Anno M. 4247. post C. N. 293. Fuit S. ANICIUS*  
*Petronius Probus Cos. & Collega Imp. Gratiani Anno*  
*M. 4320. post C. N. 371. Fuit ANICIUS Bassus Cos. An-*  
*no M. 4357. post C. N. 408. Fuerunt & multi alii, quos*  
*vide apud SETH. CALVISIUM in opere Chronolog.*  
*Universal. Meminit etiam Pater Symmachi cujusdam*  
*ANICII Juliani in Q. AUREL. SYMMACHI Episto-*  
*lar. libr. 1. Epist. 2. Unde factum ut gens & familia ANI-*  
*CIA inter Consulares Romanorum relata fuerit, prout*  
*ex ONUPHRIO de antiq. nominib. refert ANDR.*  
*SCHOTIVS Soc. Jes. In Elect. Roman. Antiq. de pri-*  
*scis Rom. gentib. ac famil. ad finem Antiquitat. Roman.*  
*Rosini. Atque si non ex hisce, certe tamen non inferiori*  
*familiâ ANICIA, quod oriundus fuerit JUSTINIA-*  
*NVS, fidem facient ea, quæ ex JORNANDE & PRV-*  
*DENTIO mox cap. seq. num. 7. adducentur. Ut proin-*  
*de JUSTINIANVS a familiâ & gente ANICIA, quâ o-*  
*riundus fuit, ANICIVS, quoque dictus fuerit, pari ra-*  
*tione, quâ Nero claudius praenomine Domitii, quod*



ex gente Domitiâ esset, insignitus fuit- S. A. VICTOR.  
*in Epitom. de vit. & morib. imperat. Roman. pag. m 362.*  
SVETON. *in Nerone Claud. cap. 1. videlicet VALER.*  
MAXIMUM. *Dictor. factor. memorabil. libr. 10.*

21. Adeo autem non invisum hoc JUSTINIANI  
nomen visum fuit aliis, ut potius & suos hoc nomine  
22. insigniri multi non fuerint veriti. Gesit enim & hoc  
nomen adhuc alius Imperator, ad differentiam hujus  
nostri JUSTINIANI I. dictus IVSTINIANVS secun-  
dus, Imp. Constantini IV. Pogonati minor filius, fuit-  
que decimus Imperator à nostro, vocatur etiam IVSTI-  
NIANVS Minor & Rhinotmetus, qui naso & lingua  
præcisus relegatus, tandemque capite truncatus. Hu-  
jus vitam & facta prolixius scripsere PAUL. DIACO-  
NVS *de gestis Roman. ad Eutropii Histor. libr. 18. in fin.*  
*pag. m. 594. seq. JOANN. ZONARAS. Annal. Tom. 3. in*  
*vita ipsius pag. 75. BLONDUS in Histor. ab inclination.*  
*Romanor. Decad. 1. libr. 10 pag. m. 133. & seqq. CÆS. BA-*  
*RONIUS Annal. Ecclesiast. tom. 8. ad A. C. 685. & seqq.*  
*ABB. URSPERGENS. in Chronic. brevius habent, CA-*  
*RION. Chronic. libr. 3. pag. m. 368. JOANN. CLUVE-*  
*RUS in Epitom. Histor. tot. mundi pag. m. 419. & seqq.*  
*HIERON. MEGISERUS in Theatr. Cesar. Histor. Poetic.*  
23. *in ipsius vita.* Et alii. Fuit IVSTINIANVS, Imperato-  
ris Mauritiî filius unâ cum Patre & fratribus Anno  
Christi 602. interfectus. CÆS. BARONIUS *Annal.*  
24. *Ecclesiast. tom. 8. ad A. C. 602. num. 12.* Tempore Imp. p.  
Leonis & Zenonis quendam Præfectum Vrbi dictum  
fuisse IVSTINIANVM, patet ex inscriptione *l. ad simi-*  
25. *ltudinem 16 C. de Advocat. divers. judicior.* Coævus  
IVSTINIANO nostro fuit antistes Valentianæ Eccle-  
siæ pariter IVSTINIANVS dictus, qui rerum divina-  
rum



rum studio non obscurum nomen adeptus est, ut scribit ÆGID. PERRINUS *Arremarensis in Justiniani vitâ, in fin.* Valer. Andr. TAXANDER, *in catalog. claror. Hisp. Scriptor.* Alius ab hoc IUSTIN. Vir Illustris & Orientis 26.  
Dux floruit sub Imperatore Tiberio Constantino, qui secundus fuit Imperator à nostro Justiniano, videatur IOAN. ZONARAS *Annal. Tom. 3. de Imperio Tiberii pag. m. 59.* De alio IUSTINIANO qui postea IBRAHIM BASSA dictus, integra lectuque jucundissima circumfertur Historia sub titulo *Ibrahims / oder des Durchläuchtigen Bassa und der beständigen Isabellen Wunder. Geschichte.* Interprete PHILIPP. CÆSIO. Atque hic forte fuit iste Ibrahimes de quo mentionem iniecit IOAN. LEUNCLAVIUS *in Histor. Musulman. Turcor. lib. 18. pag. m. 770. Ad A.C. 1534.* Meminit etiam cujusdam IUSTIN. 27.  
Theologi Hispani, THOM. LANSIUS *in Consultation. Oration. pro Hispaniâ p. m. 241.* Vltimum & hoc nomen 28.  
IUSTINIANI ex proprio factum appellativum ad eum ut qui juri Justiniano operam dare contendunt, appellatione IUSTINIANI indigentur pariter atque artis medicæ Professores Galeni καὶ ἐξοχήν audire gestiunt, de quo tritum illud circumfertur : 29.

*Dat Galenus opes, dat IUSTINIANUS honores,  
Solut Aristoteles cogitur ire pedes.*

### Monitum.

### Nomina habent Omina.

Ex variis hisce unum hic nobis notasse sufficiat, quod sæpè etiam nominibus

*Sidus & occulti miranda potentia fati*  
insit.

Πολλάκι καὶ ἴδιον αὐτῶν  
Nomen sæpè afficit ipsum

B

dicente



dicente HESIODO. Hinc inter stoicorum placita erat,  
ut unusquisque suo nomine velut officii admonitore  
uteretur, quod CASSIODORUS *libr. 8. var. Epist. 18.* ele-  
ganter exprimit: *Cum omnis appellatio ad declarandas  
res videatur imposita, nimis absurdum est portare nomen  
alienum, & aliud dici quam possit in moribus inveniri.*  
Atque ex hoc fundamento Romanos etiam in dilectu  
militum observasse CICERO *libr. 1. de Divination.* tra-  
dit, ut primus miles fieret bono nomine quod FE-  
STUS ita interpretatur: *in dilectu, ut & in censu primos  
boni ominis gratia nominatos Valerios, Salvios, Stato-  
rios, ideo quod bonum eventum portenderent.* PHILIPP.  
CAROLI *Antiquitat. Roman. libr. 3. cap. 2. de re militar.*  
Simili superstitiosa observationis artificio usus Lyco-  
genes, cum contra Regem Melandrum triginta pe-  
ditum millia equitumque sex conscripsisset, id egit, ut,  
*qui primus descriptus est, ne omen deesset, Nicon. appella-  
retur; quod deinde superstitio vulgi, quasi rem fortuitam  
in auspiciis accepit.* IOANN. BARCLAIUS *in Argem. libr.  
2. pag. m. 232.* In familia SAXONICA fatale nomen FRI-  
DERICI vulgo putatur, quod IOANNES FRIDERICUS die,  
quam misericordias Domini vocat Ecclesia, Anno  
Christi MDLXVII. expugnata Gothâ fuerit captus:  
quâ die ac penè horâ antè viginti annos JOANNES FRI-  
DERICUS Septem Vir, ejus parens apud Mulbergam à  
Carolo V. acie victus captusque fuerat. FORSTNERUS  
*in Not. Politic. ad libr. 1. Annal. Taciti pag. m. 30.* ubi  
plura in hanc rem refert. Simile exemplum de HEN-  
GISTO & HORSO legitur apud MART. HAMCONIUM  
*in Frisia sub Odilbaldo pag. m. 22.* quo me brevitatis ergo  
refero. Potentiæ Romanorum uti prior SCIPIO viam a-  
peruerat, ita luxuriæ posterior, dicente VELLEI. PATER-  
CULO, *Histor. Rom. libr. 2. in princ.* CAPUT



CAPUT. II.

Summa.

- |                                |                              |
|--------------------------------|------------------------------|
| 1. Tempus nati Justiniani      | 8. Quae mater Justiniani fu- |
| 2. Patria Justiniani aliis Bo- | erit.                        |
| derina.                        | 9. Parens ejus adopti-       |
| 3. Aliis Tauresium dicta       | vus.                         |
| 4. Aliis Achridum.             | 10. Quâ ratione Imperato-    |
| 5. Alii aliter sentiunt        | res Praedecessores suos Pa-  |
| 6. Parens Justiniani natu-     | tres appellent.              |
| ralis.                         | 11. Adducuntur aliquot e-    |
| 7. Erronea opinio de obscurâ   | xempla.                      |
| Et ignobili Justiniani fa-     | 12. Sequuntur Monita Histo-  |
| miliâ adducitur.               | rico. Politica.              |

**N**atus Imperator noster JUSTINIANUS Anno 1. Mundi conditi 4432. qui est post Christum natum 483, & annus Urbis Conditaë 1235. Consule Anicio Fausto, Anno Imperii Zenonis decimo. Hunc enim natalis ejus annum MARCELLINUS Comes in *Chronico* indicat. vid. Seth. CALVIUS *Oper. Chronologic.* Hieronym. MEGISERUS in *Theatr. Cesar. Histor. Poetic. in vitâ Justiniani.* At secundum computationem Joann. CUSPINIANI *Commentar. in AURELII CASSIODORI Consules Anicii Fausti Consularatus incidit in Annum Christi 482, & Imperii Zenonis nonum, quo etiam anno Imperatorem Justinianum natum esse tradit Francisc. GVINETUS in vitâ Justin. cap. 1. num. 3.* Sed hæc tanti non sunt ut diutius iis immorari debeamus.

Patriam JUSTINIANI non uno modo commemorant



rant omnes : Alii *Boderinam, Bederinam & Bedirinam*  
& *Vedecinam* Illyrici oppidum fuisse tradunt GRE-  
GOR. *lib. 2. MEGISER Theatr. Caesar. Histor. Poet. in*  
*vitâ Justiniani. Joann. EICHELIVS in Animadvers.*  
*ad Avēdota Procopii. num. 131. pag. m. 194. AGATHI-*  
*VS Histor. lib. 5. qui de Patriâ Justiniani ita refert :*  
*Interea pars altera exercitus Hunnorum, quæ Cherson-*  
*sum obsidebat, &c. sepe à Romanis & opidinis rejecta &*  
*repulsa fuit : quibus Germanus Dorotbei F. juvenis admo-*  
*dum præerat. Patria illi erat Illyrica civitas, Boderina*  
*veteri nomine dicta. novo Justiniana. Eam enim Justi-*  
*nianus, quod ibi in lucem editus esset, mirificè exornavit,*  
*atq; ex obscurâ nobilem & beatam fecit, atq; ita de suo e-*  
*am nomine denominavit.* Alii *Tauresium, & Tauresi-*  
3. *am* appellitant, inter quos PROCOPIVS quem sequi-  
tur Cæsar BARONIVS *Annal. Ecclesiast. tom. 7. ad A.*  
*C. 535. num. 55. pag. m. 280. ita autem PROCOPIVS,*  
*vel potius ejus interpres, libr. 4. de edific. Imp. Justini-*  
*ani in princ. scribit : Sed à Patriâ Imperatoris mihi or-*  
*diendum esse arbitror. Hanc enim solam oportet laudi-*  
*bus in cælum ferre, atq; celebrare, quæ talem Imperato-*  
*rem aluerit, &c. Apud Dardanos Europæ qui jam post*  
*Epidamiorum (Dyrachinorum) fines incolunt, locus est*  
*Tauresium nomine, ibi Imp. Justinianus natus. Hunc*  
*igitur locum Imperator factus brevi muro circumdedit,*  
*in quadrangulam formam structura redactâ, & in quo-*  
*quo angulo turri excitata, ex quo & Tetrapyrgiam seu*  
*Quadriturritam postea appellavit. Sub eam velut ar-*  
*cem mox condidit urbem clarissimam, eamq; de suo nomi-*  
4. *ne Justinianam primam nominavit. Alii Achridum &*  
*Ochridam* vocant NICEPHOR. *libr. 17. cap. 28. ita re-*  
*tulit, cujus interpretis verba hæc sunt : Patriæ quoq;*  
*sua*



*sua Achrido precipuum-honorem habens Justinianus, Archiepiscopali dignitate eam decoravit; ecclesiamq; ibi liberam, quæ ipsa sibi caput esset, cum plenâ potestate constituit; & primam Justinianam mutato nomine vocavit. Porro Achrido urbs est in excelsa tumulo constructa, prope lacum maximum; qui Lychnedus nominatur, antiquitus autem Dassarites vocatus est. Et quæ ibi sequuntur- Astipulatur huic opinioni Conrad. RITTERSHUS. Commentar. ad Novell. in proœm. cap. 2. num. 6. Francisc. GUINETUS in vita Justiniani Magni. cap. 1. num. 3. Dionys. GOTHOFRED. in Nov. 11. lit. K. Hermann. GOEHAUSEN part. 1. pericul. academ. 2. quæst. 11. Hubert. GIPHAN. Commentar. de vita Justiniani. pag. m. 5. & seqq. qui posterior urbem hanc adhuc superesse, hodiè Ochridam vulgò dici, ejusq; Archiepiscopum in Germaniâ Anno 1587. se vidisse, ibidem attestatur. Atque hæc Civitas Ochrida, quæ postea Justiniana prima est appellata, per Nov. 11. & Nov. 131. cap. 3. sita est ab urbe Thessalonica trium ferè dierum itinere, in montes Illyricos sive Bulgaricos à sinu Thessalonicensi remota, quæ regio olim Pannonia secunda, hodie Bulgaria appellatur. RITTERSHUS. citat. loc. Cives ejus utuntur Slavonico sermone, ut omnes fere Illyrici, Dardani, Bulgari & Servi. GIPHAN. loc. supr. allegat. pag. m. 8. Alii in Dalmatiâ aut Thracia patriam JUSTINIANI quæsiuere, inter quos est Anton. MATTHEI, & plerique alii, quos refutat CUIACIUS ad Nov. 11. Joann. SITHMANN. in Nucleo jur. Civil. Instit. in proœm. pag. m. 23. Parens JUSTINIANI naturalis dictus fuit pariter JUSTINIANUS, teste CUSPINIANO in vita Justiniani. quem ignobilem planè, obscurum, & armentarium*



fuisse, ex aliis refert Matth. STEPHANI in *præfat. in lib. Codicis num. 1.* Ægid. PERRINUS Arremarensis in *vita Justiniani in princ.* Quidam etiam inde colligunt, quod Prædecessor ejus & parens adoptivus simulq; avunculus Justinus I. parentibus ortus ignobilibus & obscuris, atq; principio operarius aut armentarius & porcarius, post lignarii cujusdam minister fuisse scribatur à Joann. ZONARA. *Annal. libr. 3. in vit. Justin.* Pompon. LÆTO in *Justino.* Baptist. EGNATIO in *Justiniano.* Verum non omni ex parte hæc vera esse JORNANDES Scriptor Zonara multo antiquior reliquit, dum familiam Justinii vocat ANICIAM, qua nulla fere inter Romanos jam à Constantino vel generosior vel Christo devotior fuit, teste etiam PRUDENTIO, qui *libr. 1. contra Symmachum* ita scribit:

*Anniadum Suboles, & pignora clara Proborum  
Fertur enim ante alios generosus ANICIUS urbis  
Inlustrasse caput.*

Ipsæ etiam PROCOPIUS Cæsariensis in *Ἀνεκδότοις seu Historia arcanâ* scripto sanè virulentissimo, & in dedecus Gloriosissimi Imp. Justiniani interprete Nicolao Alemanno edito, (in quo ea conscripsit dicente Joann. SCHILDIO in *not. ad Sueton. libr. 7. cap. 14. num. 6. pag. m. 722.* quæ ne apud credulos quidem fidem debeant invenire) mitius tamen omninò originem JUSTINI detexit, *pag. m. 12.* his verbis: *Λίοντιον ἐν Βυζαντίῳ τὴν αὐτοκράτορα δεξιὴν ἔχοντι, γεωργοὶ νεανία τρεῖς, ἰλλυριοὶ γένεσι, ζιμαρχὸς τε, καὶ Διτύβιστος, καὶ Ἰβσίνος, ὁ ἐκ Βεδεραῆς, πράγμασιν ἐνδελεχέστατα διὰ τῆς πείρας οἰκοὶ μαχόμενοι τέτωντι ἀπαλλαξείοντες, ὅτι τῷ στρατεύεσθαι ὤρμησαν. Καὶ πορρὴ βαδίζοντες ἐς Βυζάντιον ἦσαν, σισύρας ὅτι τῶν ὤμων αὐτοὶ φέροντες. Ἐν αἷς δὴ ἄλλο ἕδεν ὅτι μὴ παρὲς*



πρὸς ἀρχῆς, οἰκοθῆν ἐμβεβλημένοι ἀφίκοντο. Ταχέως τε  
ἐν τοῖς στρατιωτικοῖς καταλόγοις, βασιλεὺς αὐτὸς ἐς τὴν παλα-  
τίαν τὴν φυλακὴν ἐπεξέλεξατο. Κάλλιστοι γὰρ ἅπαντες τὰ σώ-  
ματα ἦσαν. Quod Nicolaus ALEMANNUS ita vertit :  
Byzantii Leo summam habebat imperii, cum tres in illy-  
ria nati, exercendisq; agris assueti adolescentes Zimar-  
chus, Ditybistus & Justinus (cujus Bederiana patria  
fuit,) summa, quâ domi premebantur egestatis vitanda  
causa, militiam sequuntur, pedibusq; Byzantium veniunt,  
rejectis post terga sagis, in quibus præter secundarios pa-  
nes, nihil eis quod reconderent, ex re domestica fuit. Nu-  
meris militaribus inscripti ab Imperatore, utpote egregiâ  
corporis formâ conspicui, ad Regiâ custodiam seliguntur.  
Matrem nactus est IUSTINI Imp. Sororem, quam ferè 8  
solus omnium THEOPHILUS in vit. Justiniani. nomi-  
ne BIGLENIZÆ indigitat, ubi de matrimonio justinia-  
ni ita differit? Duxit Iustinianus Theodoram egregiam  
puellam, licet reclamante matre Biglenizâ, quæ indo-  
lem puella alioqui scitissima, & eruditissima, sed levioris  
& arrogantioris ingenii aliquando obfuturam fortuna  
& pietati filij pertimescebat. Cum autem Iustinus 9  
Imp. prole destitueretur, ideò quarto ante obitum  
mense à Iustino avunculo suo adoptatus fuit JUSTINI-  
ANUS noster, Autor Epitomes JORNANDIS. libr. 1. de  
regn. ac tempor. success. pag. m. 713. s. atq; hinc est, quod  
toties in Constitutionibus justinum Imp. patrem su-  
um appellet, ut in §. 3. Inst. de Donation. §. 4. Inst. qui-  
bus non est permiss. fac. testament. Nov. 28. cap. 4. Nov.  
Nov. 140. in princ. Malè ergò GL. ad procem.  
Institut. voc. Justinianus hinc colligit Justinum  
patrem Justiniani naturalem fuisse. Nam cum voca- 10.  
bulum Patris non solum naturæ, sed & religionis &

ΕΥΕ-



reverentiæ sit, aded ut hoc intuitu etiam Dii Patres appellati fuerint, de quo LUCILIUS testatur:

*Ut nemo sit nostrum, quin pater optimus divum.*

*Ut Neptunus Pater, Liber, Saturnus Pater, Mars,*

*Janus, Quirinus pater nomen dicatur ad unum.*

videtis LACTANTIUM *Divin. Institut. libr. 4. de vera sapient. & religion. cap 3.* Hinc Imperatoribus etiam frequentissimum est, quod Prædecessores suos, ne quidem agnatione aut stirpe conjunctos *Patres* appellent, ut in *l. Minoribus 1. C. in quibus caus. in integr. restitut. necess. non est. l. jurisjurandi. 2. C. de reb. credit. & jurej. l. licet 1. C. Divort. fact. l. in testamento. 6. C. de testament. milit. idq; vel jure adoptionis, quo modo ipse JUSTINIANUS noster ab adoptato Sororis filio & Successore Justino II. parens appellatur in Constitutione quam Justinus Imp. *de filiis liberarum, in Africam directa*, ediderat. Pariter ac Justinus II. ab adoptato sororis filio & Successore Tiberio Constantino Patris quoque nomine indigitatur in Constitut. sequenti Tiberii Augusti, quod Sacrum Pragmaticum vocat, *de confirmat. Constitut. Justinii Imp. de filiis Colonorum & liberarum.* In quibus Constitutionibus prædicti Imperatores, cum, quibus inscriptæ sunt, Theodorum scilicet, parentem carissimum atque amantissimum appellant, atque ego quidem cum alium cocetaneum non inveniam hunc Theodorum eum puto, qui Mopsvestenus appellatur, fuitque Præceptor Nestorii, de quo CALVISIUS *Oper. Chronolog. ad ann. Chr. 546.* & contra quem sub Vigilio Papâ Romano LXI. Constantinopoli quinta Synodus habita est, in quâ excommunicatus, quod affirmaret Virginem Mariam solum hominem, non etiam Deum & hominem peperisse PLATINA *de Vit. pontific. in vit.**



*vit. Vigilii, l. qui tamen Theodorus, sicut & Menna  
Episcopus Constantinopolitanus, suis postea sedi-  
bus restituti sunt. CALVIS, citat. loc. ad A. C. 552.  
Multos propter autoritatem, quã pollent tam in secula-  
ri quam Ecclesiastico regimine, Patres dici, testimo-  
nio esse potest quod FLORUS Histor. Roman. libr. 1. cap.  
1. de Senatu Romano scribit: Consilium reipublice  
penes Senes esset, qui ex autoritate patres, ab atri-  
ce Senatus vocabantur. Noster etiam imperator Ju-  
STINIANUS ArchiEpiscopum Mennam sanctum ac  
religiosum Patrem appellat in Nov. 42. in Epilog. Et  
imperator Fridericus I. in Epistola ad Hadrianum IV.  
Pontificem: Duo sunt, inquit, quibus nostrum regi-  
oportet Imperium, leges sancte Imperatorum, & usus  
bonus prædecessorum, & Patrum nostrorum, istos limi-  
tes Ecclesie nec volumus præterire, nec possumus. Debi-  
ram Patri nostro reverentiam libenter exhibemus, libe-  
ram Imperii nostri coronam divino tantum beneficio ad-  
scribimus, &c. Unde forte remansit, ut Episcopos,  
quales fuerunt Ambrosius, Lactantius, Augustinus,  
& alii, communi Patrum nomine indigitemus, & apud  
Pontificios Clerici adhuc hodiè Patres audiant.  
Propter etatem etiam; Ita Senator Consularis Metius  
Falconius Nicomachus de Tacito Imperatore ait: Se-  
niores Principem fecimus, & virum qui omnibus quasi  
Pater consulat, apud FL. VOPISCUM in vitã Taciti imp.  
pag. m. 400 inter H. A. S. Vel quia regimen imperato-  
rium paterno quavis similitudine esse debeat, Bonusq; prin-  
ceps, ut ait XENOPHON, à bono Patre nihil differat,  
merito Imperatores Prædecessores suos Patrum titu-  
lo honorarunt. Ita Imp. Diocletianus & Maxi- II.  
mianus Divum Trajanum in l. in magistratus s. C. de*

C

magi-





magistrat. conveniend. Divum Antoninum in l. non  
justam. 4. C. ad sCtum Trebellian. D. Marcum Aureli-  
um Claudium in l. Divine. 1. C. Ne liceat potent. patro-  
cin. litigant. prestare. l. Edict. 3. C. si advers. fisc. l. Dis-  
sentientis. 5. C. de repud & judic. & mor. sublat. M. Ale-  
xander Severus D. Antoninum Pium. in l. Et que s.  
C. de edend. l. Defunctorum. 4. C. de re militar. Antoni-  
nus D. Severum. l. unic. C. de pericul. eor. qui pro ma-  
gistr. interven. Constantinus Div. Aurelianum. l. cum  
divus 1. C. de omni agro deserto. Et in jure passim, Pa-  
trum nomine indigitant, Alexander D. Severum a-  
vum appellat. in l. si mortis 5. C. ad L. Falcid. Q. Aurel.  
SYMMACHUS lib. 10. Epist. 43. Parentes generis huma-  
ni, & libr. 10. Ep. 40. Legum parentes, pariter atq;  
Imperator noster JUSTINIANUS in Nov. 12. cap. 4. le-  
gis Patres, appellat Imperatores. Imperator Hono-  
rius etiam Symmachum Praefect. Urb. Parentem ca-  
rissimum atq; amantissimū vocat Epistola quadam  
ad Symmachum, quae est inter Epist. SYMMACHI  
lib. 10. Ep. 77. Et haec velut obiter. Sequuntur

#### Monita.

121. I. Nec Patriæ, nec majorum ignobilitas  
impedimento virtuti est.

M. PORTIUS CATO ortus municipio Tu-  
sculo, in omnibus tamen rebus singulari fuit pru-  
dentiâ & industriâ ex fragment. Emil. PROBI. libr.  
posterior. in vita ejusd. princ. EUMENI CARDIA-  
NO, ut ut multum detraxit viventi, quod alienæ es-  
rat civitatis, omnes tamen Macedones cura, vigi-  
lantia, patientia, calliditate, & celeritate ingenii  
vicit. Cornel. NEPOS de vit. excellent. imperat. in vi-  
ta Eumenis in princ. COCCEJUS NERVA Imp. XIII.  
opido.



Opido Narniensi genitus. S. Aurel. VICTOR. in *Epi-  
tom. de vit. & morib. imperat. Roman. pag. m. 369.* MES-  
SIUS DECIUS imp. XL. Syrmientium vico ortus. S.  
A. VICTOR. de *Cesarib. pag. m. 384.* vel, ut in ejusdem  
VICTORIS *Epitom. pag. m. 380.* traditur, è Pannoniâ  
inferiore, Bubaliæ natus. CAROLUS MAGNUS,  
qui primus imperium ad Germanos transtulit, *Ingel-  
hemij* opido non ita celebri natus, *Michael Sachs/  
Kaysr. Chronic. part. 3. in vit. Caroli M cap. 1.* CARO-  
LUS V. etiâ *Gandavi*, Flandriæ urbe spatiosissimâ qui-  
dem, (quippe ambitus ejus ad tria milliaria Germani-  
ca se extendit, continens XX. insulas & pontes octo  
& nonaginta, cujusq; parochiale templum, quorum  
septem sunt, quod S. Martino sacrum est ædium di-  
stinctarum 5015. incolas, auditores habet, attestante  
David. VECHNERO in *breviar. tot. German. cap. 6. pag.  
m. 190.*) cubiculo vero perparvo, & obscuro natus,  
ut de Tito Vespasiano scribit SÆTONIUS *libr. 8. cap.  
2.* nam manet adhuc & ostenditur, prout ipsimet An-  
no 1657. d. 9. Septembr. vidimus in arce ibidem quam  
Prinzen Hoff vocant. Ita nimirum *de magnorum  
Principum virtutibus summa sciendi non est, ubi quisq;  
sit genitus, sed qualis in republicâ fuerit, dicente FL.  
VOPISCO in vit. Aurelian. pag. m. 366. inter H. A. S.*  
Nec majoris æstimandi alii idcõ, quod veteres in a-  
triis ceras, fumolasq; majorum imagines longâ osten-  
dere serie haud difficulter possunt: *aliena enim lau-  
dant, qui genus jactant suum, dicente Lyco apud SE-  
NECAM in Hercul furent. act. 2.* Et quid tandem, utar  
verbis JUVENALIS *Satyr. 8. prodest longo.*

*Sanguine censerî, pictosq; ostendere vultus*

*Majorum: — Si quis nihil ipse futura*

*Laudis agat? miserum est aliorum incumbere fama*



Quotusquisq; est, qui ex nobilissimâ familiâ sceleratissimus prodiit? AUGUSTUS degeneres suos liberos *treis vomitas*, aut *tria carcinomata sua* appellat, & vel hinc cum HOMERO *Iliad* 3. proclamat:

ἄϊδ' ὄφελον ἀγαμός τε μένειν, ἀγονός τ' ἀπολέειν:

*Utinam aut coelebs mansissem aut orbis mortuus essem!* apud SÜETON. *in vit. Augusti cap. 65.* GALBA nobilis è gente clarissimâ Sulpiciorum, ubi Romam ingressus, quasi luxuriæ aut etiam crudelitati auxilio ventitasset; rapere, trahere, vexare ac foedum in modum vastare cuncta ac polluere. S. A. VICTOR *de Cesarib. in vit. Galb. pag. m. 314.* plura recenset VALER. MAXIM. *Dict. Fact. memorabil. libr. 3. cap. 5.* Adeò non est usq; quaq; verum, quod patrem sequatur sua proles,

*T' Kind heeft het artje*

*Naer sien Vartje.*

*soo de Klock is, so de Knepel,*

*soo de pot is, so de Lepel.*

*soo de Moeder, so het Kint,*

*Let Gefellen Waerje mint.*

Sæpius enim excellentium virorum virtus & sapientia in liberis defecit, quam profecit, & nunc quasi *natura lex est, quæ crebro tanquam ex industria malos è bonis, agrestes è doctioribus, & cæteros hujusce modi seu contra gignit.* S. A. VICTOR *de Cesarib. in vit. Caligula pag. m. 309.* ut jam dudum in proverbium abierit: *Heroum filios noxas esse.* Quo argumento, natos ab ignobilioribus præ illis ad Rempublicam adhiberi feliciter, qui dixerit, forte non errabit, cum *gravius offendant, quos mollius consulturos (regnaturos) spes erat,* S. A. VICTOR *de Cesarib. in vit. Galb. pag. m. 314.* mollius quos gravius. Et hinc in præscâ Romanorum Monarchia

TAR-



TARQUINIO PRISCO Regi V. nihil obstitit, quod mercatoris Corinthij filius. Nihil SERVIO TULLIO Regi VI. quod matre serva natus. FLORUS *Histor. libr. 1. cap. 5. 6.* S. A. VICTOR *de Vir. illustrib. cap. 5. & 6.* quo minus ad Regni Romani fastigia emerferini. Nec postmodum tempore subsequenti fascibus Imperii Romani indigni habiti sunt alii, non adeo illustri familia nati. PROBUS Imp. patre agresti genitus. S. A. VICTOR *in Epitom. de vit. & morib. Imperat Romanor. pag. m. 384.* DIOCLETIANUM obscurissime natum, quidam scribae filium, nonnulli Anulini Senatoris libertum & gregarium militem fuisse scribunt. EUTROPIUS *Histor. Rom. libr. 9.* S. A. VICTOR *in Epitom. de vit & morib. Imperat. Romanor. pag. m. 385.* ZONAR. *Annal. tom. 2. fin. sub Imper. Diocletiani. pag. m. 243.* FL. VALER. MARCIANUS Imp. neque gestis magistratibus clarus, neque illustri genere ortus, ex gregario milite factus Imperator summe laudabilis, benignum se praebens erga omnes. ZONAR. *Annal. tom. 3. sub imper. Marciiani. pag. m. 38.* Et quis WILLIGISUM primum Moguntiae Archipraefulem & Electorem Imp. in villa Saxoniae Stroningen patre Hamaxurgo plaustrario natum ignorat? HENRIC. PANTALEON *in Prosopograph. Her. & illustr. vir. tot. Germ. part. 2. ad A. C. 1000. pag. m. 95.* Ita scilicet generari & nasci a Principibus fortuitum, nec ultra estimatur, secundum TACITUM *Historiar. libr. 1.*

II. Multis major gloria a linea materna quam paterna obvenit.

Ita TIBERIUS non obscuris matris artibus ad Imperii Romani fasces aspiravit, TACITUS *Annal. lib. 1. princ.* ut ut enim AUGUSTUS palam nec dissimulanter morum ejus diritatem improbaret, expugnatus



tamen precibus Uxoris adoptionem non abnuit. SUE-  
 TON. *libr. 3. in vit. Tiberij. cap. 21.* AELIUS HADRIANUS  
 sine aliqua quidem voluntate Trajani, sed operam  
 dante Plotina Trajanillxore in principatum adoptatus.  
 ETROPIUS *Historiar. libr. 8. pag. m. 496.* addit S. A-VI-  
 GTOR *de Cesarib. pag. m. 321.* quod viri testamento he-  
 redem regni institutum Hadrianum Plotina simularit.  
 Pariter THEODAHATUM consobrium tuum Amala-  
 sueniba mortuo filio Athalarico regni sui participem  
 fecit, Autor Epitomes JORNANDIS *de regnor. ac tem-  
 por. succes. libr. 1. pag. m. 715.* ERICUS quoq; Pomera-  
 niæ Dux à Margarita Daniae Regina adoptatus, quod  
 ex sororis eius Ingeburgæ filia Maria prognatus estet,  
 Daniae regnum simul promeruit. ARNISEUS *de Repa.  
 libr. 2. cap. 2. sect. 12. nam 39.*

CAPUT III.

Summa.

- |   |  |
|---|--|
| 1. Educationis maxima vis.                            | 12. Justitia amor.   |
| 2. Præceptor JUSTINIANI<br>THEOPHILUS.                | 13. Fortitudo bellica.   |
| 3. JUSTINIANUS nō fuit quo-<br>vis ἀναλφαβήτω rudior. | 14. Proclivitas ad pacem.                                      |
| 4. Vitæ consuetudo militaris.                         | 15. Temperantia in cibo. potu,<br>somno.                       |
| 5. Corporis sius & statura.                           | 16. Impudicitia in simlatur<br>à quibusdam JUSTINIA-<br>NUS.   |
| 6. Animie ejus bona.                                  | 17. Eorum redargutio.  |
| 7. Virtutes Imperatorie.                              | 18. Avaritiam & rapacita-<br>tem alij in JUSTINIANO<br>notant. |
| 8. Comitatus in JUSTINIANO.                           | 19. Qui pariter notantur.                                      |
| 9. Ejusdem clementia.                                 | 20. Monitum Politicum.   |
| 10. Pietas in Deum & patri-<br>am.                    |  |
| 11. Prudentia in reb; agendis                         |  |

Nativi-





**N**ativitatem excipit EDUCATIO, in qua omnem  
virtutis custodiam & incrementum posita esse,  
*ARISTOTEL. in Physic. scribit. Exuberat insentes  
flicesq. ager, nisi exerceatur. Sterilescunt arbo-  
res, si desit cultura. Ita hominum ingenia, prostrata vir-  
tutum fruge, in turpem vitiorum messem luxuriant, si aut  
nulla illis, aut mala in teneris adhibeatur educatio.*  
*NEUHIUS in Theatr. Ingen. human. libr. 2. cap. 1.* Nec  
ergo illam JUSTINIANO nostro defuisse credendum  
est, ut ut insolentiores in ea describenda deprehendan-  
tur Historici. Traditus est in disciplinam THEOPHILO, 2.  
quem ferè solus omnium nominat. *Joh. EICHELIUS  
in animadvers. ad alex. dola. PROCOPII Cesariensis ad num.  
74 p. m. 166.* qui an idem ille fuerit, quem Justinianus in  
*Constitut. de Confirmat. Digest. ad magnam Senatam §. 9.*  
*magnificentissimum magistrum, & leges seu juram regiam  
urbe laudabiliter, & cum summis vigilis, & ut magistrum  
sedulitate dignum est, docentem, appellat, affirmare,  
sed & negare non audeo, cum idem ille per aratis ratio-  
nem esse potuerit. Sub hoc insigniter profecisse in  
literis dubium non est, cum non adeo locordis inge-  
nii, aut quovis ἀναλογιστήν rudior fuerit, ut quidem  
SUIDAS in Lexic. & Laurentius VALLA libr. 6. Elegan-  
tiar. cap. 36. ipsi affingunt, qui falsitatis evidentissime  
convincuntur ex eo, quod JUSTINIANUS noster pie ju-  
xta ac eleganter de incarnatione JESU CHRISTI Salva-  
toris nostri ipsemet scripserit, teste SABELLICO, PRO-  
COPIO, PLATINA de vit. Pontific. Roman. in Bonifac. 2.  
ipsemet Institutiones juris à compositoribus oblatas  
& ligerit & recognoverit, §. quas ex omnibus C. pro em.  
Instit. ipsemet inquisiverit semper ea, quae à Digestorum  
compilatoribus componebantur: & id quod erat dubium,  
per-*



- perscrutatus fuerit, omnibus quoque secundum datam ipsi à  
 Domino DEO & Salvatore Jesu Christo scientiam & intel-  
 lectus vigorem imposuerit competentem formam: verba  
 sunt Sacratissimi Imperatoris nostri in Constit. de Con-  
 firmation. Digestor. ad magnum Senatum in fin. princ. ad-  
 datur Francisc. GUINETUS in vit. Justiniani Magni cap.*
4. 15. num. 5. Navata in literis egregie satis operà, rebus  
 bellicis aliquanto propius admotus, vitam egit inter  
 milites, factusque JUSTINI prædecessoris satelles pedis-  
 sequus. CUSPINIANUS in vit. Justiniani. Hermann-  
 GOEHAUSEN. Pericul. Academic. part. 1. per 2. quest. III.  
 In quo vitæ genere tantum abest, ut ad scelera & flagitia,  
 vitæ militari nostris moribus sororia, abripi passus fue-  
 rit, quin potius ad futuram & caelo sibi destinatam Ro-  
 mani imperii administrationem, non legibus solum  
 armandam, sed armis quoque decorandam, prooem. Inst.  
 princ. mirum in modum properarit. Falluntur enim  
 qui credunt militaribus ingeniis subtilitatem deesse, quia  
 castrensium jurisdictio secura & obtusior, ac plura manu a-  
 gens calliditatem fori non exerceat, TACITUS in vit. A-  
 gricola pag. m. 611. Corporis & membrorum situs, ex  
 quo feliciter saepe sapientes latentem animi indolem  
 persequuti indagant, reconditosque sub corporis inte-  
 gumento mores in lucem protrahunt, in JUSTINIANO  
 talis, ut non, nisi optima de eo sperari debuerunt. Fuit  
 namque habitus & staturam corporis paulo supra mediocrem,  
 colore subrusso, oculis castis & lubricis. καὶ τὴν κεφαλὴν ὡς  
 κόμης καὶ ἀμικρὸν ἐψιλωμένην, ut ex CEDRENO refert  
 Hubert. GIPHANIUS in Commentar. de vit. Justini-  
 an. pag. m. 23. Nec egregia animi bona defuisse JUSTI-  
 NIANO ex rebus præclare ab eo gestis, in dubitato col-  
 ligitur: Hieronym. MEGISERUS in Theatro Casareo-  
 Histo-



*Historico-Poëtico in vit. Justiniani Imp. XCII. pag. m. 182.*  
Virtum animo & virtute egregium appellat. Et sanè  
injuria virtutum esset, si omnes in JUSTINIANO refer-  
re luxuriante stylo vellem, dicente iterum TACITO  
*in vit. Agricole. Eruditionem, elegantiam, & comi-* 7.  
*tatem presertim, principibus necessarias esse, cum sine his*  
*natura bona quasi incomta, aut etiam horrida despectui*  
*sint, ex comperto scribit S. A. VICTOR de Cesarib. in*  
*vit. Maxentii pag. m. 349. Clementia Imperatorum dos*  
*prima censetur à FL. VOPISCO in vit. D. Aureliani. pag.*  
*m. 393 inter H. A. S. Quod lumine clariore prae fulgeat, ni-*  
*hil est quam recta fides in principe. l. cognoscere 7. ibi: in-*  
*ter Claras. C. de Summ. Trinitat. & fid. cathol. Nihil esse*  
*inter mortalia, quod propius quam sapientia ad summam*  
*DEI naturam accedat, docet, NATALIS COMES Myth.*  
*libr. 9. cap. 13. pag. m. 1006. Iustitiam esse pacem popular-*  
*rum, tutamen patriæ, immunitatem plebis, munimentum*  
*gentis, curam languorum, gaudium hominum, CYPRIA-*  
*NUS ait. Omnia hæc, & multò plura in IUSTINIANO in-*  
*signius eluxisse patuit jam quadantenus, & patelet* 8.  
*in sequentibus. De COMITATE & in adeundo facilita-*  
*te JUSTINIANI testatur ZONARAS Annal. tom. 3. sub*  
*imperio Justinian. princ. his verbis: Fuit hic imperator a-*  
*ditu facillimus, ad poenam irrogandam aequè promptus atq;*  
*ad crimina audienda. CLEMENTIAM loquuntur Arta-* 9.  
*banes & Joannes Præfectus Prætorio, in quos adduci*  
*nunquam potuit, ut inflicto extremo supplicio ani-*  
*madverteret, etiamsi majestatis crimen, quo se con-*  
*taminaverant, publicæ leges capitali tantum poena*  
*expiari posse decernerent. Franc. GUINETUS in vit.*  
*Justinian. cap. 15. num. 3. Eximia in DEUM & patriam IO-*  
*PIETATIS illustra multis locis extat exempla, & testi-*

D

monia,



monia, ut in *Constitution. de Conception. Digest. ad Tri-*  
*bonian. princ. & de Confirmat Digest. ad Magn. Senatuum*  
*princ. & §. 1. l. 1. & l. 2. princ. C. de Offic. Praefect. Pra-*  
*tor. Afric. tot tit. C. de Summ. Trinitas. de ss. Eccles. &*  
*passim, dum omnem rerum gestarum gloriam caelo ac-*  
*scripsit, omnem spem ad solam summa providentiam Tri-*  
*nitatis retulit, Divis tot religiosa grati animi monu-*  
*menta ponens, educendis perpetuò in coelum vastis*  
*templorum molibus, domibusq; construendis, in quas*  
*se publicè reciperent, qui morbo & paupertate con-*  
*flictarentur. Francisc. GUINETUS in vit. Justinian. cap.*  
*15. num. 2. Damnavit Hereticos, l. 5. C. de sum. Trinis.*  
*& fid. Cathol. Nov. 131. cap. 14. Libros sacros pervolu-*  
*tare, de rebus & controversis Ecclesiasticis cum Epi-*  
*scopis & Presbyteris studiosè in multam usq; noctem*  
*conferre solitum, scribit PROCOPIUS lib. 3. Bell. Gotb.*  
*In patriam pius adedò extitit, ut multis, & variis mo-*  
*dis auxerit, insignibus privilegiis, ArchiEpiscopatu*  
*in primis dotarit. Nov. 11. & Nov. 131. c. 3. PRUDENTIAM*  
 11. *ejus in rebus gerendis, & intellectus vigorem, quem*  
*DEO acceptum refert in Constitut. de Confirmat. Digest.*  
*ad magn. Senatuum in fin. princ. etiam PROCOPIUS libr. 5.*  
*Bell. Vandal. maximoperè laudat: Erat, inquit, in-*  
*quiens, cum in reperiendo, & investigando ingeniosus; tum ad*  
*ea qua semel decreverat, perpetranda impiger. Quanto*  
 12. *fervere JUSTITIAE flagrarit, fatentur juris civilis libri,*  
*quos divini numinis liberalitate collectos pulcherrimo ope-*  
*re exstrui, & quasi proprium & sanctissimū templum justi-*  
*tiae consecrari, per illustres & juris peritissimos viros*  
*mandavit, ut loquitur ipse in Constitut. de Conception.*  
 13. *Digest. ad Tribonian. §. 5. FORTITUDINEM & magnitu-*  
*dinem animi in re militari gravissima bella præclare*  
tam



tam ipso duce, quam ejus auspiciis gesta, & tituli triumphales à devictis gentibus *in Proem. Instit* recensiti, declarant. Euit tamen & ad PACEM proclivior, a-14. deo ut interdum ignavus ac timidus audiret, quia vel injuriam sæpe dissimularet, vel ferociæ vulgi aut Barbarorum non statim occurreret. Hubert. GIPHANIUS *in Commentar. de vit. Justinian. pag. m. 24.* TEMPERAN- 15. TIAM ejus egregiis verbis prosequitur, laudatus PROCOPIUS *libr. 1. ὅτι τὸ ἡσυχάζειν ἔργον Ἰουλιανῶν: Duds,* inquit, dies qui paschalem solemnitatem precedunt, cibo se plane se temperabat, reliquos vino pane, aliisque cibariis se abstinens, herbis tantum, sale & aceto maceratis, vescabatur. Aqua erat potus. Cubitum non nisi serò concedebat: mane summo us de lectulo surrexerat, Reipub. totum diem partemq; noctis tribuebat. Atq; hæc virtutes omnium clarissime in JUSTINIANO emicuere omnes, ut patet ex *Epistolâ paraneticâ AGAPETI ad JUSTINIANUM* apud Cæsar. BARONIUM *Annal. Ecclesiastic. tom. 7. ad ann. Christ. 527. num. 4. & seqq.* videatur & Michael SACHS *in des Rånser Chronica part. 2. in vit Justinian. cap. 2. & 5.* Sunt tamen, qui vitæ levioris & non 16. satis castæ insimulare eum ausi sunt: Ajunt enim Imperatorem, *ita meretricibus uti solitum, ut Vespasianus olim questoribus: quas cum in tabernas meritorias inanes immisisset, ubi stultos argento emunxissent, subito retraxerit, lucrumq; expresserit, velut intumescen- tibus spongiis alienum humorem exigere consuevimus, ut ait Francisc. GUINETUS in vit. Justinian. cap. 15. n. 4.* AMMONIUS Monachus *lib. 2.* Justinianum post acceptum Imperium vulgare scortum sibi matrimonio copulasse, & ob id in grande suorum procerum odium incidisse, ac plerosq; ex capitali sententia da-  
D 2 mnasse,



17. manasse, scripsit. Præterquam autem, quod à fide Hi-  
storica profus alienum hoc sibi videri fatetur Ægidius  
us. PERRINUS Arremarensis. in vit. Justinian. con-  
trarium etiam ex acerbitate legum colligi potest, qui-  
bus violatores alienarum nuptiarum gravi, & pro de-  
licti qualitate etiam capitali poenæ subjugandos con-  
stituit, vid. l. fin. C. ad L. Jul de Adult. Nov. 14. Nov. 17.  
cap. 15. Novell. 134. cap. 10. & passim. ZONARAS *Annal.*  
tom. 3. sub Imper. Justinian. pag. m. 52. Libidini præter-  
tim mascula infestissimum fuisse, plurimosq; ea de causa  
18. punivisse, virilibus exsecris attestatur. Alii AVARITIAM  
& rapacitatem indigna omnino majestate imperantis  
vitia, in JUSTINIANO notant: ZONARAS citat loc. in  
pr. Pecuniam, inquit, & temere profudit, & per fas ac  
nefas comparavit, aliam in edificia, aliam ad exequenda  
consilia sua, aliam in rem bellicam, & contentiones eo-  
rum, qui voluntati ipsius adversabantur, insumendo. Ita  
factum, ut cum pecunia semper egeret, eam rationibus pa-  
rum honestis compararet, ac gratiam haberet ijs, qui colli-  
gendi argenti vias ostenderent. Et paulo post: Annua  
tributa exaggerabantur, & nova excogitabantur. Alij, ut  
perperam de religione sentientes multabantur, alij ut im-  
modeste & petulanter viventes opibus privabantur: alij  
ob contentiones inter sese, alij deniq; aliis de causis, quæ  
omnes breviter recenseri nequeunt. Et aliquanto infe-  
rius: Ad templorum adificationem cum infinitis egeret pe-  
cuniis, de consilio præfecti stipendia liberalium artium Ma-  
gistris olim constituta, in omnibus urbibus sustulit. Hie-  
ronym. MEGISERUS in Theatr. Cæs. Histor. Poëtic. in  
vit. Justiniani, pariter scribit; Fuisse principem bello &  
pace inclitum, veteris Romane gloria instauratorem exi-  
mum, & procul dubio Imperatorum maximum, nisi ava-  
ritia



*ritia notatum.* Ast quàm errent h̄ ipsi, tot ædificia 19.  
sacra, Deo sanctisq; exstructa, tot pretiosa munera,  
quæ recenset Cæsar BARONIUS, *Annal. Ecclesiast. rom.*  
*7. ad ann. Chr. 533. num. 18.* PLATINA *de vit. Pontific.*  
*Roman. in vit. Joannis II.* Joann FVNCCIUS *Comment.*  
*in Chronolog. libr. 8. ad ann. Chr. 533.* ad Joannem II.  
Pontificem Romanum ex piâ liberalitate mista, com-  
probant nimium. Testimonio etiam est *Nov. 8. cap. 11.*  
*fin.* ubi majestate imperantis JUSTINIANI digna vox:  
*Nos autem, inquit, sufficientem imperio questum esse puta-*  
*mus, ut collatores sola fiscalia conferant tributa, & nihil*  
*aliud extrinsecus queratur, quod subiectis omnem commo-*  
*deat vitam.* Et *Novell. 30. cap. 11. §. 2. ibi: Quares sum-*  
*mo à nobis studio habitæ effecit, ut magnas etiam opes de-*  
*spererimus.* Et *Novell. 161. cap. 2. in princ. Atq; ut hæc ita*  
*caderemus lege ex eo nobis in mentem venit, quod pluris*  
*à nobis sit subditorum opulentia, & medela, quam redi-*  
*tus qui exinde inferuntur Imperio.* Quibus quid a-  
pertius, verius etiam *arg. l. Sacrilegii s. C. de divers.*  
*rescript.* contra avaritiæ incusatores dici possit, non  
video; Et sane aggravavit annua tributa, & nova ex-  
cogitarit; certe ingentia illa bella *per quæ Deus ipsi*  
*dedit, ut non solum pacem ad finem deduxerit, sed &*  
*Vandalos, Alanos, Mauritanos subegerit, & totam Afri-*  
*cam insuper & Siciliam recuperaverit, dict. Nov. 30. cap.*  
*11. §. 2.* tot collectas extraordinarias, desiderabant.  
Mulctavit perperam de religione sentientes, priva-  
rit opibus immodeste & petulanter viventes, & al-  
ios aliis de causis; Ita nimirum fas jusq; illi fuit, &  
nefas utiq; fuisset, si fecisset secus. Sustulerit li-  
beralium artium Magistris stipendia, & templis ædi-  
ficandis adhibuerit; Ita rectissime, forte quod  
D 3 plures



plures eorum sub nuda appellationis velamine artium  
Magistros se appellarint, arg. l. qui subpretextu. 9. C.  
de SS. Eccles. aut studentibus minimè se utiles prabue-  
rint, arg. l. Grammaticos 2. C. de Profess. & Medic. Vel  
si hæc minus ita fuerint, nihilo tamen minus rectis-  
sime JUSTINIANUM fecisse credendum est, cum æque  
noxii sint, qui artes liberales effuse nimis, quam  
qui omnino non promovent, ut egregiè dixerit Justus  
LIPSIUS *Politic. lib. 2. cap. 17. n. 18. in not.*

20.

### Monitum.

Necessaria est Principi, sed non promi-  
scue omnis Eruditio.

Agésilus Rex, apud PLUTARCHUM in *Apo-  
phtegma*. id à Puerorum magistris præstari volebat: *Ut  
eis in rebus instituantur, quæ viris factis usui sint futura.*  
Et hoc in Principe informando, qui ita natus ut bona  
malaque ejus ad Rempub. pertineant, dicente TACITO  
*Annal. libr. 4. p. m. 133.* omnium maximè obtinebit.  
*Non ergo omnia sciat, sed quæ civitati & muneri suo utilia  
sunt, ex præcepto EURIPIDIS, apud ARISTOTELEM  
Politic. lib. 2. c. 3. & cum Agricola apud TACITUM  
in vit. Agricol. teneat ex sapientia modum.* Studia,  
Philosophiæ præsertim, ultra quam concessum sit  
Principi, haurire haud velit, Abrah. GOLNITZ in *Prin-  
cipe part. 1. p. m. 7.* sed, quæ cum pace belloque com-  
mendant & juvent, sufficiant. *Eloquentia* præsertim  
& *Linguarum* studio, quarum apud subditos aut vici-  
nos crebrior usus, deditus sit, ex Præcepto Justi  
LIPSI *Politicor. lib. 1. cap. 10. n. ult. in not.* *Historias* evol-  
vat pariter, ut stratagematum Exempla, victoriarum  
& cladum causas, aliisque profutura cognoscat. Sit  
*Geographus & Mathematicus*, ut novas machinas ex-  
cogi-



cogiter, aciem disponat, sua muniat, locum castris  
eligat, aut saltem, num bene per alios id fiat, pos-  
sit judicare. Miser est princeps qui se alterius fidei to-  
tum debet committere, qui cæcus ex arbitrio aliis  
ducitur, nec errorem ullum notare, aut repre-  
hendere potest, quam dum amplius nequit emen-  
dari, ait Jacob, ZEVECOTIUS *in observ. Politic. ad Sue-  
ton. Jul. Cesar. cap. 56. pag. m. 126. & seqq.* Peccavit  
circa hoc Præceptum ÆLIUS HADRIANUS Imp. eru-  
ditus adeo, ut *libros & versu & soluta oratione con-  
scriptos reliquerit, nihil se ignorare professus; Quæ  
quidem nimia subtilitas, curiositas, & morum varietas  
maxime in eo reprehensa fuit, attestante ZONARA  
Annal. tom. 2. sub Imper. Hadrian. pr. pag. m. 202.* JU-  
LIANUS Apostata Imp. nimium Philosophis deditus  
*omnis generis disciplinis eruditus, præsertim vulgo mi-  
nus cognitis.* ZONARAS *Annal. tom. 3. sub Imper. Jul.  
fin. pag. m. 24.* ut propterea AMMIANO *lib. 17. cap. 22.*  
male, tanquam *græcus litterio* audiat. Pariter GRA-  
TIANUS Imp. *litteris haud mediocriter institutus; car-  
men facere, ornate loqui, explicare controversias, Rhe-  
torum more nihil aliud die, noctuq; agere, quam spi-  
culis meditari: summaq; voluptatis, divinaq; artis cre-  
dere ferire, (perite sibi) destinata.* Et paulo post: *Cun-  
ctisq; fuisset plenus bonis, si ad cognoscendam Reipub.  
gerenda scientiam animum intendisset, à quo prope a-  
lienus non modo voluntate, sed etiam exercitio fuit,*  
verba sunt S. A. VICTORIS *in Epitom. de vit. & mor.  
Impp. Roman. pag. m. 395.* Et ergo TRAIANUM ali-  
quem, doctum leviter, sed vigilantem & serium;  
quam principem otiosum & in literis deliciantem  
Reipub. admovere satius erit, secundum JUSTUM LI-  
PSIUM, *citat. loc. num. 14. in not.*

CAPUT





CAPUT. IV.  
Summa.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Ratio continuationis exponitur.   | 1. Codex novus JUSTINIANE.  |
| 2. Honores JUSTINIANI: 1. Magisterium militum. 2. Praefectura Praetorij. 3. Dignitas Consularis, eaq[ue] famosissima. 4. Imperialis. | 2. Digesta 3. Institutiones. 4. Codex repetita pralectionis. 5. Novella Constitutiones.               |
| 3. Res gestae in pace.   | 6. Structura publicorum edificiorum varia. 150. Civitates restituta. Templum S. Sophia, & alia plura. |
| 4. Cura religionis.  | 7. Pons in Sangari fluvio.  |
| 5. Cura justitiae.   | 8. Monitum Politicum.   |
| 6. Libri juris Civilis: 1. Co-   |   |

1. **V**irtutes JUSTINIANI praecedenti capite maximam partem B. L. stitimus, nunc ad *Virtutum premia Honores* nimirum, quos sustinuit, recto ordine pergimus. Ita autem JUSTINIANUS per omnes dignitatum honores gradatim ascendit, ut cum magister militum Vitalianus ob tyrannidem & imperium adfectatum 17. vulneribus acceptis in ipso Palatio occisus esset, JUSTINIANUS in locum ejus *Magister Militum* designatus fuerit, anno Imperii Iustini altero, teste MARCELLINO in *Chronic.* ZONARA *annal. tom. 3. sub imper. Iustini.* vid. Hubert. GIPHANIUS *Comment de vit. Justiniani. pag. m. 29.* Mox ad *Praetorij Praefectum*, Aegid. PERRINUS Arremarens. in *vit. Justin. prim.* (An vero dictus PERRINUS hoc loco magistrum militum & Praefectum Praetorio propter exaequatam eorum dignitatem, vid. *tot. tit. C. de Praefect. Praetor. & urb. & magistr. milit. &c.* confuderit, & quae duo sunt officia, unum fecerit, alijs iudicandum relinquo.) Postmodum anno Chr. 521. ut patet



pa tet ex subscriptione *l. hanc consultissima 8. C. qui testa-*  
*ment. fac. post.* vid. CALVIS. Oper. Chronolog.  
ad A. C. 521. secundum CUSPINIANUM in *Commentar.*  
ad A. CASSIODORI *Consul.* est annus Chr. 520. ad *Consu-*  
*latum*, quem tot magnificis spectaculis *famosissimum*  
*pra Consulibus omnium orientalium edidit* IUSTINIANUS,  
ut ex MARCELLINO in *Chronic.* refert Cæsar BARO-  
NIUS *Annal. Eccles. tom. 7. ad A. C. 521.* Deniq; à IUSTINO  
morbo cruris senioq; gravato, Patriarcha Epipha-  
nio & primoribus advocatis, in *Imperij societatem*  
per adoptionem Anno Chr. 527. Calend. April. as-  
sumptus, quod indicat inscriptio *l. jubemus. 5. C. de*  
*offic. magistr. offic. videatur & ZONARAS ann. tom. 3. sub*  
*imp. justini. in fin.* Mox JUSTINO mortuo, ex die XXXI.  
Augusti *solus imperare* cœpit, annos tum natus XLV.  
FUNCCIUS *Commentar. in Chronolog. libr. 7. in fin.* BA-  
RONIUS, *annal. Ecclesiast. tom. 7.* CALVIS Oper. Chronolog.  
ad A. C. 527. MEGISER in *Theatr. Cæs. Hist. Poët. in vit.*  
*justiniani.* Evectus ita ad Imperium omnium voto 3.  
& applausu IUSTINIANUS, id semper egit, ut pacis pri-  
mum, post quoq; belli artibus gloriosissimus undiq;  
extiterit. Erat sacrarum rerum tum ingens perturbatio 4.  
& calamitas: Orientem *heresis* potissimum *Eutychia-*  
*na & Nestoriana*, Occidentem *Arriana* (ea enim lues  
Gothos & Vandalos infecerat) miserandum in mo-  
dum dilacerabat. Hubert GIPHANIUS in *Commentar.*  
*de vit. Justinian. pag. m. 27.* Ut ergo huic malo occur-  
reret, primo statim Imperij anno *Arrianos* prole ribit,  
publicatis eorum bonis. Anno Chr. 536. *Concilium*  
Episcoporum Orientalium convocat in causa *Antihimi*  
*Euthychiani* Anno Chr. 552. d. 8. Febr. sancit, ut Ju-  
dæi sacra Biblia non Hebraice, sed inusitata lingua  
E ubi



ubi vivunt, ut in Græcia Græce in Italia latine legant.  
 Anno mox sequenti 553. d. 1. Maij quintam Synodum,  
 convocatis plus quam centum & quinquaginta Episco-  
 pis, Constantinopoli habendam instituit, contra Theo-  
 dorum & omnes hæreticos, qui beatissimam virginem  
 solum hominem, non etiam DEUM & hominem pe-  
 perisse, affirmabant, EVAGRIUS *lib. 4. cap. 37.* PLATI-  
 NA *de vit Pontific. in vit. Vigily* l. Abbas URSPERGENS.  
*in Chronic. in vit. Justiniani pag. m. 137.* Cæsar BARO-  
 NIUS *Annal. Ecclesiast. tom. 7.* FUNCCIUS *Commentar. in*  
*Chronolog. libr. 8.* CALVIS *oper. Chronolog. ad predictos*  
*annos. conferantur l. 5. l. 6. l. 7. C. de summ. Trinit. &*  
*fid. Cathol. Nov. 13. cap. 14.* Et hæc breviter de cura  
 5. JUSTINIANI circa religionem. Circa *justitiæ administra-*  
*tionem* adeo sollicitus fuit JUSTINIANUS, ut, quod an-  
 te cum JULIUS CÆSAR, vid. SÆTON in *Jul. Cæs. lib. 1.*  
*cap. 44.* ibiq; SCHILDIIUS *in not.* & post Julium alii im-  
 peratores, vid. Jacob ZEVECOTIUS, *in observat. Politic.*  
*ad SÆTONII Jul. Cæs. cap. 44.* Joann OLDENDORP. *in*  
*actiõ forens. progymnasim. in Epist. dedicatõ.* tentarunt  
 varie, solus felicissime omnium perfecit, *jus Civile*  
*nimirum ad certum modum redigendo, atq; ex immensa*  
*diffusaq; legum copia, optima queq; & necessaria in paucis-*  
*simos conferendo libros, dicente SÆTONIO. citat loc.*  
 6. Nam primo statim Imperii anno, X. *viris gloriosissimis*  
*tam doctrina legum quam experientia rerum studioq; Rei-*  
*pub. indefesso. & laudabili proposito pollentibus, (quorum*  
*nomina extant in Constitutionibus de nov. Cod. faciend.*  
*& de Justinian. Cod. confirmand.) sub certis finibus hunc*  
*laborem commisit, ut trium veterum Gregoriani, Her-*  
*mogeniani, atq; Theodosiani Codicum constitutiones,*  
*quam plurimas alias, post eosdem Codices à Theodosio di-*  
vina



vina memoria, cæterisq; post eum retro principibus, a se  
etiam postas, in unum Codicem felici suo vocabulo, Justi-  
nianum, nuncupandum, colligerent, verba sunt *Const.*  
*de Justinian. Cod. confirmand.* Cœptum hoc opus An-  
no Chr. 528. Idib. Februar. ut testatur subscriptio *Con-*  
*stitution. de nov. Codic. faciend.* Perfectum confirma-  
tumq; anno sequenti 529. Idib. April. ut apparet ex *Con-*  
*stitut. de Justinian. Cod. confirmand.* Confecto hoc Co-  
dice, de Prudentum responsis componendis, & Co-  
dici Constitutionum accommodandis cogitabat Ju-  
STINIANUS: Igitur anno Imperii sui tertio, qui erat  
annus Christi 530. 18. Cal. Januar. XVII. viris (quorum  
nomina recitantur in *Constitut. Tanta. de Confirmat.*  
*Digest. ad Senat. §. 9*) jurisperitisimis, Constantino-  
polin in Palatium suum vocatis, opus hoc demanda-  
vit, quod etiam intra triennij spacium perfecerunt, &  
ex duobus millibus librorum, & tricenis centenis millibus  
versuum (id est paragraphorum, secundum DUAREN-  
NUM, vel linearum, secundum CONTIUM) universo  
jure ad quadragesimam partem reducto, quinquaginta  
*Digestorum seu Pandectarum libros* promulgatos Anno  
Chr. 533. d. 17. Calend. Januar. compilarunt. *vid. Con-*  
*stitut. Tanta & Constit. dedit nobis. de confirmat. Digest.*  
*ad magn. Senat.* Hi L. Digestorum libri, ut hodie sunt,  
secundum computationem RITTERSHUSI in *exposit.*  
*Novell. in append. p. m. 771.* Titulos in univ. 430. a-  
lij 432. alij 434. numerant: Leges vero, ut vult CON-  
TIUS 8134. alij 9132. alij 9154. numerant, continent. add.  
FORSTERUS ad *Institut. Disput. 1. tb. II. in not. ad fin.* O-  
pere Digestorum nondum absoluto, eodem tempore  
ex Digestis & Codice, multisq; veterum Iurorum &  
præsertim Caij commentariis, *Proœm. Institut. §. quas ex*



omnibus 6. quatuor *Institutionum Juris* libros compo-  
nere Triboniano, Theophilo, & Dorotheo iussit Iu-  
STINIANUS. *Proem. Instit. §. cumq; hoc 3.* Publicatae sunt  
eae Anno Chr. 533. d. 11. Calend. Decembr. & sic pau-  
lo ante Digesta, hae enim d. 17. Calend. Ianuar. ejusd.  
anni sunt promulgata, ita tamen ut illae nequaquam  
prius in foro valerent suumq; robur obtinerent, nisi ex  
quo die & hae valerent, tertio nimirum Calend. Ian.  
praedicti anni 533. *Constitut. Tanta §. Leges autem. 23. de  
Confirmat. Digestor. ad magn. Senat.* quae aliàs est l. 2.  
C. de vet. jur. enucl. Hi IV. *Institutionum juris* libri,  
ut hodie sunt Tit. 99. Paragraph. 696. secundum com-  
putationem quorundam continent. Sic itaq; Codice,  
Digestis & Institutionibus confectis, IUSTINIANUS i-  
terum ad priorem suum Codicem reversus, ad secun-  
dam ejus editionem manum admolitus est, ita ut plu-  
rimis Constitutionibus demptis, plurimis quoq; no-  
viter insertis, Codicem istum longè emendatiorem  
anno Chr. 534. d. 16. Calend. Decembr. anno Imperij  
sui 8. ediderit, sed non nisi ex die 4. Calend. Ianuar.  
ejusd. anni auctoritatem acceperit, qui nunc *Codex re-  
petita praedictionis*, h. e. secundae editionis appellatur,  
vid. *Constitut. Cordi nobis est. de emendat. Codic.* Con-  
tinetq; secundum nonnullorum computationem Tit.  
865. Leg. 4629. Auth. 223. quas IRNERIUS ICTUS tem-  
poribus Lotharij Saxonis Anno Chr. 1137. Codici  
huic ex Novellis inspersit. Tandem, ne novis subinde  
Constitutionibus, quas usus postularet, saepius Co-  
dex deinceps retractaretur; atq; ita vim & auctori-  
tatem suam crebrâ mutatione amitteret, constituit  
IUSTINIANUS, ut quae deinceps Principis nomine Edi-  
cta exirent, ea non in Codicem, sed singulare *Novel-  
larum*



larum Volumen redigerentur, *dist. Constitut. Cordi no-*  
*bis est. §. bis igitur 4. de Emendat. Codic.* Unde Liber  
*Novellarum seu Authenticorum*, qui diem non habet,  
sed varias IUSTINIANI constitutiones novas, de qua-  
rum tempore ex subscriptione Judicari potest, conti-  
ner. Videantur de hac librorum juris Civilis com-  
positione Matth. WESENBEC, *Commentar. in IV. libr.*  
*Institut. jur. in princ. in isagog.* Georg SCHULTZ *in Sy-*  
*nops. Institut. imper. in prolegomen.* Francisc. GUINETUS  
*in vit. Justinian. cap. 3. num. 11. & seqq.* Hermann. GOE-  
HAUSEN *Pericul. Academic. part. 1. per. 2. quest. 12.* Thom.  
LINDEMANNUS *in Histor. jur.* Ioachim. MYNSINGERUS  
*ad Instit. jur. in proem. §. 1. & 2. & juris interpretes ad*  
*Proem. Instit. passim.* Quantum se præstiterit IUSTI- 7.  
NIANUS in extruendis ædificiis publicis, (namq; hæc  
etiam ad pacis opera maximam partem pertinent,) tot  
templa, Regiæ, Curiæ, basilicæ, monasteria, Gerona-  
tocomia, ptochotrophia, Xënodochia, balnea, mu-  
ri, mœnia, valla, propugnacula, turres, ductus aqua-  
rum, pontes, viæ, portus &c. quorum omnium innu-  
merabilis multitudo fuit, satis testantur vid. PROCOP.  
*libr. de Ædif. justin. per tot.* EVAGRIUS *libr. 4. cap. 18.* Fer-  
tur, ait, JUSTINIANUS centum & quinquaginta Civitates,  
quarû pars penitus deletæ fuerunt, pars non parvas ruinas  
perpessa, in integrum restituisse, & tam eximio splendore  
jactis ornamentis, tam præclarâ adium tum publicarum,  
tû privatarû fabricatione, tam amplis mœnibus circumda-  
tis, aliisq; egregiis ædificiis, quibus tum urbes exornari so-  
lent, tum sacrum numen coli. Omnium tamen adium sa-  
crarum magnificentissima fuit S. Sophia dicata, de qua  
prolixè satis Francisc. GUINETUS *in vit. Justinian. cap.*  
*16. num. 3.* Condidit & magnum Deiparæ templum in

E 3

Pega,



Pega, & sanctorum martyrum Sergij, Bacchi, Cosma  
& Damiani ædes, multasq; præterea substructiones, &  
pontem in Sangari fluvio &c. ZONAR. *annal. tom. 3.*  
*sub imper. Justinian. pag. n. 52.* Aegid. PERRINUS *in vit.*  
*Justinian. BARONIUS annal. Ecclesiast. tom. 7. ad A. C.*  
*530. num. 36. & seqq.* Michael SÆUS Rånser *Chro-*  
*nica part. 2. in vit. Justinian. cap. 5.* Joann. EICHELIUS  
*in animadversionib. ad avēdota PROCOPII. p. 5m.*

8.

### MONITUM.

Felicius fere omnes imperant, qui senes  
quam qui juvenes Reipublicæ admoti.  
*Vae tibi terra, quando Rex tuus puer est, inquit Ec-*  
*clesiast. cap. 10. v. 16.* Et egregiè apud FL. VOPISCAM  
*in vit. Taciti Imperat. p. m. 400. inter H. A. S.* Senator  
Consularis Meius Falconius Nicomachus, cum Taci-  
tus Imperator electus esset: *Dij avertant, inquit, Prin-*  
*cipes pueros; & Patres Patriæ dici impuberes; & quibus*  
*ad subscribendum magistri literarj manus teneant: quos*  
*ad Consulatus dandos, dulcia & circuli, & quæcunq; vo-*  
*luptas puerilis invitet. Quæ, malum, ratio est habere*  
*Imperatorem, qui, quid sit Respub nesciat, nutritorem*  
*timeat, respiciat ad nutricem, manuum magistrorum icli-*  
*bis terroriq; subjaceat: faciat eos Consules, Duces, judi-*  
*ces, quorum vitas, merita, ætates, familias, g. st. a non*  
*noit.* Pari fermè modo JUSTINUS JUSTINIANI nostri  
Parens & Prædecesor, cum Principes eum aliquando  
orarent, ut JUSTINIANUM nostrum collegam sibi ad-  
scisceret, purpura prehensa, *Vobis, exclamat, optan-*  
*dum est, ne hanc junior aliquis induat,* apud ZONARAM  
*annal. tom. 3. sub Imper. Justini in fin.* Hinc tot Impera-  
tores senes ap Imperium pervenerunt, Nam & Tra-  
janus ad Imperium senex venit, & Hadrianus ad Im-  
perium



perium senex venit, & Antoninus ad imperium senex venit, & infiniti alii, & quis melius quam senex imperat? Exclamat toties rotiesq; Senatus Romanus in Electio- ne Taciti Imp. apud FL. VOPISCUM *supr. citat. loc. vid.* præterea KECKERMANN. *de LX. Rebusp. prisc. Disp. 2. lb. 4. pag. m 74.*

CAPUT V.

Summa.

- |  |  |
|--|--|
| 1. Res bello gesta à JUSTINIA-<br>NO.            | 5. Bellum contra Vandalos in<br>Africâ.            |
| 2. Bellum in Dalmatiâ duce<br>Mundo.             | 6. Bellum contra Gothos in I-<br>taliâ eodem duce. |
| 3. Gesta per Joannem contra<br>Mauros in Africâ. | 7. Gesta per Narsetem in I-<br>taliâ. (obiter.     |
| 4. Bellum contra Persas duce<br>Bellisario.      | 8. De familiâ RANGONUM<br>9. Monitum Politicum.    |

**R**Ebus pace egregiè gestis succedunt Res belli. A- 1.  
deò autem vix imperij iura susceperat JUSTI- 2.  
NIANUS, ubi per MUNDUM sui exercitus Ducem,  
Dalmatiam invasit, & Salonam urbem munitissi-  
mam vi cepit, in qua victoriâ MUNDUS ipse cum filio  
occisus est. Mauros quoq; Africam infestantes ductu 3.  
Joannis præfecti sui oppresit. Ægid. PERRINUS Arre-  
marens. *in vit. Justin. inde BELLISARIUM patritiû, inge-* 4.  
*te virû contra Persas, qui Romanos fines invaserant, di-*  
*rexerit, quibus cœlis, ex voluntate ejus Constantinopo-*  
*lim triûphans ingressus est BELLISARIUS. vid. Abbas*  
*URSPERG. in Chronic. in vit. Justin. pag m. 135. Paul DIA-*  
*CONUS de gest. Romanor. ad EUTROPII Histor. lib. 17. An-* 50.  
*nus erat à nato Christo 533. cum JUSTINIANUS Bellisa-*  
*rium Casariensi PROCOPIO comitante, qui bella illic*  
*gesta*



gesta copiose persecutus est, mitteret contra *Vandalos* in Africam, Regem eorum *Gilimerem* debellandum, ad quem binas legationes pro *Hilderico* è carcere dimittendo, frustra direxerat, *Cæsar BARON. annal. Eccl. tom. 7. ad A. C. 530 Paul. DIACONUS dict. loc. CALVI- sius Oper. Chronolog. ad ann. Chr. 530. & seqq.* quæ expeditio tam feliciter cecidit, ut tribus mensibus, id est, à Kalendis septembris, usq; ad Kalendas Decembris, *Vandalos* impugnarit omnes, multis occisis, *Carthaginem* intravit, regem *Vandalorum Gilimerem* vivum ceperit, omnemq; *Africanam* post *XCVI.* annos à *Vandalico* iugo liberatam, *Romano Imperio* subiecerit. *vid. l. 1. C. d. Offic. Præf. Prætor. Afric. & Proæm. Instit. §. 1. ZONAR. Annal. tom. 3. in vit. Justinian. p. m. 53. Abb. URSPERGENS sup. dict. loc.* Deinde contra *Gothos* missus, cum veniret *Siciliam*, *Theodato* interfecto, *Vitiges* regnum ejus invasit, sed eundem captum *Bellisarius* *Constantinopolim* perduxit. *Abb. URSPERGENS dict. loc. Paul. DIACONUS ad EUTROPII Histor. lib. 18 princ. Cæpiabat tunc, verba sunt Joann. ZONARÆ annal. tom. 3. p. m. 55. fin. & seqq. obsidione BELLISARIUS primum Neapolim, deinde Romam potiebatur, partim vi, partim benevolentiam civium, nam Gothorum Dux Theodatus Ravenna degebat: Mediolanum quoq; Romani capiebant, quæ urbs cum à Gothis denuò obsideretur, Imperator Narsetem Bellisario suppetias misit, eunucbum illum quidem, ceterum virum strenuum, & rei militaris peritissimum, & iis, qui rerum potiebantur familiarem. Verum inter hos duos parum conveniebat. Nam cum Bellisarius summam rerum bene gestarum sibi vendicaret, Narses autem illius auspiciis militare videri nollet: Sejun- Et diversis in locis bellum administrarunt, eor. causa fuit, cur*



eur alicubi impegerint Nam Imperatorii milites cōmeatus inopiam  
causantes, Gothis Mediolano ceſerunt, & majus forſitan ex eorum  
diſſenſione malam eſſet ortum, niſi imperator Narſetem per literas re-  
vocaffet. Poſt id Bellifarius ſolus rem gerens, omnem Italiā & ur-  
bis ejus ſubegit. &c. &c. Atq; ita Gothorum regnum in Italiā, re-  
ge eorum Totila & multis millibus interfectis, eſſe deſiit. vid.  
PLATINA de vit. Pontif. Roman. in vit Joann. II. & ſeqq. Pontific.  
Paul DIACONUS cit. libr. 18. Michael GUESCHKE Ränſer Chroni-  
capart. 2. in vit. Juſtiniani. cap. 6. CALVIS oper. Chronol. paſſim.  
Venerandi majorum manes faciunt, ne hoc loco dememiſſe  
debeam illius THEODORI RANGONIS nobiliſſimi patritii Con-  
ſtantinopolitani, per quem noſtra RANGONUM familia è Græ-  
ciā primum in Italiā translata eſt, ideò quod ſub Bellifario  
contra Gothos egregiè ſe geſſerit, & ex eo Capitaneus Modo-  
nenſis fuerit. conſtitutus, de eo enim M. Franceſc. SANSOVINUS  
Chronolog. del mondo libr. 3. pag. m. 285. b. ita teſtatur. La CASA  
RANGONA venne di Grecia in Italia, & fra diverſi Scrittori che ne  
fanno memoria, Giovanni Selino dice che l' anno 532. THEODORO  
RANGONE nobiliſſimo gen' ilhuomo Conſtantinopolitano, & con-  
dottiero del famoſiſſimo Bellifario, venuto in Italia contra à Gothi, &  
capitaneò à Modona, vi poſe il ſuo domicilio, & tolta vi donna quale  
al ſuo ſtato ſi conveniva, generò i diſcendenti della predetta famiglia.  
La quale fu chiamata RANGONA, dalla cochiglia & cappa ſanta ch'  
è poſta di ſopra alle traverſe dell' arme in campo roſſo: la qual cochig-  
lia nella lingua greca è detta Rencon. Oltre à ciò Fanuccio Campano,  
nel quarto libro, facendo menzione di queſta caſa, la chiama nobiliſſi-  
ma fra l' altre di Modona, & dice ch' ella ſi ſi grandemente l' anno  
1213. & che eſſendo Catholica, fu diverſe volte per diſeſa di Santa  
Chieſa in diverſe impreſe, & che fu paritè privilegiata & honorata  
in diverſi tempi da diverſi Imperadori. Et hoc præter SANSOVINUM  
diſt. loc. ubi deſcendentes ex RANGONUM familiā ad ſua uſq;  
tempora, annos nempe Chriſti M.D. LXXX. recenſet, com-  
probant etiam GUICCIARDIN. Hiſtor. libr. 10. ad A. Chr. 1512.  
pag. m. 296. edit. Ital. Vener. anno 1583. qui GUIDONIS RANGONIS  
SLEIDANUS de ſtat. Religion. libr. 8. pag. m. 212. ad A. Chr. 1533.  
qui HUGONIS RANGONIS & THUANUS Hiſtoriar. libr. 62. princ.  
F pag.



pag. m 80. 2. ad A. Chr. 15-5. qui Marchionis RANGONII mentionem faciunt perhonorifican... Et hæc obiter, sequitur.

9.

### Monitum.

Rarò potentia consenescit in aula: & ferè non minus certo interitus gratiæ expectandus est, quam vitæ. FAMIANUS STRADA *de Bell. Belgic. Decad. 1. libr. 3. p. m. 95. prime.*

Exemplo est BELLISARIUS, qui quo sublimior antea, eo inferior postea factus, suo tamen vitio, namq; & hic Anno Christi 561. ab insidiatoribus Imp. JUSTINIANI, Ablatio nimirum, Sergio, & Marcello conjurationis particeps nominatus, manifestis etiam indiciis convictus, demptis satellitibus, domi custodiri jussus, honore omni exutus est, ZONARAS *annal. tom. 3. sub Imp. justinian. fin.* qui mortui etiam opes in fiscum omnes relatas scribit: Nam quod alii ulterius progressi de excecato & mendicante Bellisario scribunt Ægid. PERRINUS *in vit. justinian. Petr. CRINITUS, PONTANUS, VOLATERRANUS, cæteriq; in eo cæcutiunt ad lachrymas mulserculis in concionibus suspirantibus excutiendas invento. opportuno magis quam vero, dicente Francisc. GUINETO in vit. Justinian. in prefat. ad Lectorem & cap. 14. num. 5. CALVIS in Oper. Chronol. ad A. C. 561.*

### CAPUT VI.

#### Summa.

- |                               |                                  |
|-------------------------------|----------------------------------|
| 1. Vita IUSTINIANI domestica. | 3. Filia IUSTINIANI ex THEODORA. |
| 2. Uxor ejus THEODORA.        | 4. Mors THEODORÆ.                |

### 5. Monita Politica.

1. Quæ privatos intra parietes egerit IUSTINIANUS, paucis expedienda restant: jam ante adeptam Imperii dignitatem matrimonio sibi junxerat foeminam non meretriciam, crudelem aut avaram, ut *avéudoja* PROCOPII *Cesar. ibiq; Nicolau* ALEMANNUS falso volunt, sed egregiam, scitissimam.
- 2.



mam, sapientissimam, piissimam, ordinis Patritii, THEODORAM nomine, quod ex PROCOPIO aliisque Scriptoribus *ουυχεγοις* egregie contra Nicol. ALEMANNUM evincit Ioann. E. CHELIUS in *animadversion. ad avéxdo]a PROCOPH ad num. 88. pag. m. 175. & seqq.* Atque hanc adeo, reverenter habuit, ut reverendissimam conjugem appellavit, & nonnunquam consilii participem fecerit, *Novell. 8 cap. 1.* nullo sui dedecore aut probro, vid. *LIMN. 1. P. libr. 2. cap. 14. num. 2. seqq.* quod & ex *Mon. Il. huj. cap.* mox patebit. Filiam ex ea habuit Imp. cuius 3. meminit PROCOPIUS *lib. 2. Bell. Vand.* ante patrem tamen decessisse dicendum, cum IUSTINIANUM nullis relictis liberis, mortuum fuisse scribat NICEPHOR. *libr. 3.* vid. GIPHAN *Commentar. de vit. Justiniani. pag. m. 23.* Mortua est hæc THEODORA 4. anno Christi 549. d. 9. Julii, cum in Imperio vixisset annos XXI. & III. menses ZONAR. *annal. tom 3. sub Imp. Justinian.* CALVIS. *oper Chronol. ad A. C. 549.* Ex quo apparet male Abbatem VRSPERGENS. in *Chronic.* calculum posuisse. quod THEODORAM anno Domini 546. obiisse scripserit.

#### Morita.

I. Viri illustres aut nullorum, aut certe deperditorum liberorum parentes esse solent.

Quam miro naturæ ludibrio ex sapientissimo *Pericle Paralus* & *Xinbippus* stupidi, *Clinia* furiosus; ex gravissimo *Thucyde* de, *Milefas* & *Stephanus* inertes; ex temperantissimo *Phocione* *Phocus* dissolutus; ex humanissimo *Gelone* *H. ero* ferox; ex doctissimo *Sophocle* *Jophon* in patrem ingratus; ex acutissimo *Aristarcho* *Aristagoras* stupidus; ex eruditissimo *Aristippo*, & fortissimo *Themistocle*, & sanctissimo *Socrate* filii pituita abjectiores profecti sunt! Causam hujus rei cum *Edone* *NEU-HUSIO* in *Theatr. ingen. human. libr. 1. cap. ult. in fin.* hanc esse crediderim, quod viri illustres & sapientes, languide ac oscitanter veneri incumbant, neque magnopere gemalis tori læta delectentur, gravibus Reipublicæ curis districti; vel quod virtus à stirpe sanguinis ingenerata, cessante probæ educationis curâ ut plurimum sterile scaturiat, unde tandem *quasi naturæ lege*



hoc fit, que crebro tanquam ex industria va'os. è bonis, agræstes & d' Elioribus, & ceteros hujuscemodi seū con ra gignit. Quod eam exemplo sapientium plures caruisse liberis uelius duxere, d' cente S. A. VICTORE de Cesarib. in vit. Caligul. pag. m. 309. vid. Supr. cap. 2. Monit. 1.

II. Fœminarum sæpe præcepta maritos juvant. S. A. VICTOR in Epitom. de Cesarib. pag. m. 392.

Quam non minor sub muliebri stola, quam toga virili virtutis lateat aptitudo, Scytharum Regina TOMYRIS apud JUSTINUM Histor. libr. 1. cap. 8. Asfyriorum SEMIRAMIS, apud DIODORUM Siculum Bibliothec. libr. 2. cap. 5. IUSTIN. libr. 1. cap. 2. MARGARITA Valefia apud FAMIANUM STRADAM de Bell. Belg. Decad. 1. passim, & infinitæ aliæ attestantur. Et Imperatores fœminarum præcepta sæpe iuvisse præter IUSTINIANUM exēplo sunt XERXES qui ARTEMISIAM, CYRUS qui ASPASIAM AUGUSTUS qui LIVIAM, aliiq; qui alias, feliciter sæpe in consilium admiserunt. vid. Alex ab ALEXANDRO Gen. Dier. libr. 4. cap. 11. pag. m. 210. b. KECKERMANN. de LX. Rebus. præf. Diss. 2. part. 1. th. 2. pag. 71. Nec tam horribile bellum inter Julium Cæsarem & Pompejum exarsisset, si in vivis exstitisset adhuc IULIA, ut egregie LUCANUS Pharsal. libr. 1. canit:

————— Pignora juncti  
Sanguinis, & diro ferales omine tedas  
Abstulit ad manes, Parcarum, JULIA, seva  
Intercepta manu: quod si tibi fata dedissent  
Majores in luce moras, tu sola furentem  
Inde virum poteras, atq; hinc retinere parentem  
Armatasq; manus excusso jungere ferro,  
Ut generos soceris media junxere Sabina.  
Morte tua discussa fides, bellumq; movere  
Permissum est ducibus.

Adeo non omnia mulierum consilia damno sunt, utiliter sæpe conjugem princeps audiet, præsertim si qua à natura paulo magis tacta ad prudentiam & virtutem, dicente LIPSIO Politic. libr.



libr. 2. cap. 17. num. 9. in not. vid. REINKING Dieblisch Politey.  
libr. 2. axiom 69. & libr. 3. axiom. 18.

CAPUT VII.

Summa.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Memorabilia sub Imperio IUSTINIANI. | 6. Canis mirificus.                               |
| 2. Terræ motus tres.                   | 7. Cetus Porphyrius captus.                       |
| 3. Totidem Cometae visi.               | 8. Modus texendi Serici inventus.                 |
| 4. Pestifera lues- (CIV. obit.)        | 9. Viri celebriores qui fuerint huius temporibus. |
| 5. IOANN. anachoreta anno atq.         | 10. Monitum Politicum.                            |

**S**I quidē de Principibus iuvat omnia nosse, ex præcepto FA. 1.  
MIANI STRADÆ de Bell. Belg. Dec. I. libr. 1. pag. m. 10. med.  
iuvabit etiam ea recensere, quæ memorabilia maximè sub  
Imperio IUSTINIANI contigēre. Anno Imperii ejus secundo 2.  
ingens terræ motus Antiochiam fœdisima labe afflixit, civibus  
plus quatuor millibus ruinâ oppressis, restauratam eam Theo-  
polim justinianus appellavit. Abbas URSPERGENS. in Chronic.  
GIPHAN. in Comment. de vit. justinian. pag. m. 155. Anno post-  
modum Imperii XXVI. & XXXI. æquè insoliti motus Græ-  
ciæ urbes, & præcipuè Regiam Constantinopolim concussere.  
GUINETUS in vit. justinian. cap. 17. Toties etiam infausa cœli si- 3.  
dera Cometa apparuere, anno nimirum Imperii quinto dictus  
Lampadius, per dies XX. fulsit, subsequuta hunc ingens seditio,  
& incendium Constantinopolitanum. ZONARAS annal. tom.  
3. sub Imp. justinian. Anno postea XIII. alius, quem alii Pagoniam  
alii Xiphiam appellarunt, & demum anno XXX. apparuit adhuc  
alius. GUINETUS citat loc. Postremum hunc Cometem, & post- 4.  
remum terræ motum sævisima pestis infecuta, quæ jam ante  
XVIII. annos ab Ægypto in reliquum orbem dimanaverat, re-  
crudit eadem Byzantii quoq; anno Imperii XXXII. adeo, ut  
decem hominum millia sæpe uno die efferrentur. Tunc quoq; 5.  
IOANNES cognomine Anachoreta, Silentarius, annos CIV.  
æatus obiit, GUINETUS dict. loc. Anno Imperii XVII. quidam ex 6.  
Italia

F 3

Italia





Italia Andreas nomine *canem mirificum* Constantinopolim ad-  
 duxisse fertur, qui annulos populi certatim confluentis teme-  
 re in acervum coniectos nullo errore Dominis restituit: idem  
 singulorum veste ore prehensa, quis inter Spectatores dives,  
 quis pauper, quæ meretrix, quæ vidua, quæ Uxor, & id ge-  
 nus alia jucundo ludibrio indicavit. ZONARAS *annual. tom. 3.*  
 sub Imp. Justinian Abb. URSPERGENS. in *Chronic. pag. m. 137.* Sed  
 7. & Cetus, porphyrius dictus, qui per L. annos Byzantinis ex in-  
 teruallo molestus fuerat, sub hoc Imperatore captus, latus X.  
 longus XXX cubitos. ZONARAS *dict. loc. pag. 56.* nec adeo  
 miranda hujus magnitudo, cum Camera Anatomica Lugdunen-  
 sis Batavorum Sceleron Balænae in utero adhuc existentis IX &  
 8. dimidiam Ulnas Brabanticas longum ostendat. Cœpit quoq;  
 JUSTINIANI temporibus *tela serica* à Romanis texti, allatis ex  
 India usq; per duos Monachos vermiculorum, quos Bom-  
 byces vocant, ovis, omniq; arte demonstrata, ZONARAS *dict.*  
*loc. & ex eo GIPHANIUS Comment. de vit. Justinian. pag. m. 153.* Ce-  
 9. lebrus quoq; Imperium JUSTINIANI reddidit, qui hisce  
 temporibus vixit *Viri Celebriores*: inter quos præter glorio-  
 sissimos istos Viros, qui in jure componendo egregiam præsti-  
 tere operam, eminent maxime Cassiodorus Ravennas, vir in  
 republicâ & literis excellens Romæ; Priscianus Cæsariensis,  
 Constantinopoli celeberrimus Grammaticus; Arator Romanæ  
 Ecclesiæ Subdiaconus, & Poëta mirabilis; Dionysius Abbas qui  
 Cyclos paschales composuit. Floruit & hoc tempore Benedictus  
 Nursinus in Cassino monte, qui rationem vitæ monasticæ Ita-  
 liæ dedit, & Brigida apud Scotos mulier sanctissima Jornandes  
 etiam Gothicarum rerum Scriptor vixisse se hoc tempore ipse  
 testis est; Plures recensent Abb. URSPERGENSIS in *Chronic.*  
 PLATINA *de vit. Pontific. in vit. Joann. 1. & Pontific. seqq.* PER-  
 RINUS in *vit. Justinian. in fin.* DIACONUS ad *libr. 18. pag.*  
*m. 574.* GIPHANIUS *comm. de vit. Justinian. pag. m. 156. & seqq.*  
 Adeo Casibus adversus gloriam nihil omnino licet, dicente SYM-  
 10. MACHO *libr. 10 Epist. 32.* Quin potius ad temporum celebra-  
 tem, crebras rerum humanarum vices feliciter sustinuisse,  
 plurimi interest.

CAPVT



CAPUT VIII.

Summa.

- |                           |                                |
|---------------------------|--------------------------------|
| 1. Ultima vita IUSTINIANÆ | 4. Successor eius JUSTINUS.    |
| linea.                    | 5. Monumentum & sepulchrum JU- |
| 2. Tempus Imperij.        | STINIANI.                      |
| 3. Mors JUSTINIANI.       | 6. Ultimæ ejus Elogium.        |

**U**ltimam vitæ IUSTINIANÆ lineam, hæc quoq; Dis-  
 fertationis nostræ ultimæ lineæ explicabunt: Imperii  
 scepra gesserat IUSTINIANUS per an. XXXVIII. mē-  
 ses VII. dies XIII. jam tum annos XLV. natus, cum imperare  
 cepisset. Et ergo morbo senioq; gravatus Anno Christi 565.  
 die 13. Novembris pie & in verâ religione, cum exegisset annos  
 LXXXIII. menses VII. dies XIII. obiit, relicto sororis. Vigi-  
 lantiæ filio, (quem alii ex filiâ nepotem scribunt,) IVSTINO  
 imperii successore, à quo magnificum in monumentum, quod  
 ipse IVSTINIANVS ex puro auro, ut ait CORIPPUS, vel ex  
 lapide Sardo, ut vult NICEPHOR *libr. 17. cap. 33.* in templo san-  
 ctorum Apostolorum exstruxerat, undante per urbem populo,  
 viisq; longo tædarum ordine ad funeris majestatem lucentibus,  
 illatus est. vid. ZONARAS *annal. tom. 3. sub Imper. justinian.*  
*in fin.* Abb. URSPERGENS. *in Chronic.* Cæsar BARONIUS  
*annal. Eccl. Tom. 7. ad A. C. 565.* GIPHANIVS & GVINETVS  
*in vit. justin. cap. ult.* GOEHAVSEN *Peric. Acad. part. 1. peric.*  
*2. qu. 11. in fin.* jacet nunc præ omnibus amul'tor' vera & Aposto-  
 lica fidei pie memorie IUSTINIANUS Augustus, cujus fidei recti-  
 tudo quantum pro sincera confessione Deo placuit, tantum Rempub-  
 licâ Christianâ exaltavit. Et utiq; ab omnibus gentibus ejus religiosa  
 memoria veneratione digna confectur, cujus fidei rectitudo per Au-  
 gustissima ejus edicta in toto orbe diffusa laudatur. In quo A-  
 GATHONIS præconio in VI. Synodo ipsi dato apud  
 BARON, *annal. Eccl. tom. 7. ad A. C. 565. num. 3.*  
 nunc quoq; desino.

Hæc sunt, quæ ex multorum Commentariis breviter collegisse animus fuit.  
 Tu benevole Lector, si quid erratum est, cum Imp. JUSTINIANO in Con-  
 sit. Dedit nobis. de Confirmat. Digest. ad senat, 6. 13. in nullo aberrare  
 divina utiq; solius, nō autē mortalis constantiæ, seu roboris esse, cogitabis.  
 Je ne sois pas divin. Honi soit qui mal y pense.

Δ. T. O.



Æ. S.

Tu

Qui PIETATEM, qui JUSTITIAM, qui FORTITUDINEM

Amas,

LEGE ac LUGE!

\* \* \*

*Ex his omnibus*

ANTISTES. NOMOTHEA. IMPERATOR

ubiq; maximus

**JUSTINIANUS. I.**

CÆSAR. AUGUSTUS. INCLITUS,

DEI Delicium, Amor CIVIUM,

Hostium Terror.

Qui RELIGIONEM ab omni hæresi purgatam,

Infinitem LEGUM in ordinem congeitam,

Orientem GOTHIS, VANDALIS Occiden-

tem ereptam

DEO, PATRIÆ, IMPERIO

restauravit, restituit.

Multorum Barbariem,

Tantum non FATI sævitiem

domuit, prostravit.

IPSE

*Morbo Senioq;*

prostratus, confectus,

Cum exegisset annos XLV. ante Imperium,

XXXVIII. ann. VII. Mens. XIII. Dies in Imperio.

Vivere ac Imperare desit.

Cœlum Animam, Corpus Terra,

*Facta* brevis pagina continet.

\* \* \*

Hæc qui legis

RELIGIONEM, LEGES, ARMA


veneratus

VALE.











ULB Halle

3

002 382 997



IA - 502

VDA7











B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

1661, 2  
 22  
 1422  
 23  
 61, 3

ANI  
 MP.  
 CESSIONE  
 FORUM  
 GONIBUS.  
 MANIS,  
 SEX PO-  
 M DC LXI.  
 MAI.  
 ADRINA  
 UM  
 ANIS.

